BR
63
F4
v.35

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/sanctiaureliiaug35unse

Florilegium Patristicum
tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

Bernhardus Geyer
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

Johannes Zellinger
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Monacensi Professor ordinarius

Fasciculus XXXV

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIII

Augustinus, Aurelius, Saint, bp. of Hippo,

S. Aurelii Augustini
Episcopi Hipponensis

Textus Eucharistici Selecti

Edidit, prolegomenis et notis instruxit

Hugo Lang O.S.B.
S. Theologiae Doctor

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIII

CLgA

41613

BR
63
F4
v. 35

Imprimatur Monachii die 10. Aprilis 1933. † Bonifatius Wöhrmüller O.S.B. Abbas.
Imprimatur Coloniae die 16. Maii 1933. Dr. David Vicarius generalis.

Praefatio.

S. Augustinus non eadem excellentia vocari potest „doctor eucharistiae", qua vocatur „doctor gratiae". Nec enim eius erat intentionis praebere eucharisticae traditionis compendium quoddam nec speculationis propriae ad integrum redactionem, quamvis inter patres occidentales amplissimam afferat de augustissimi sacramenti tunc temporis in Africa vigente doctrina ac disciplina notitiam. Certe nec Johannem Chrysostomum nec Ambrosium attingit in enucleando praecipuam illam fidei veritatem, quod elementa eucharistiae transmutantur in verum corpus et sanguinem Domini Nostri Jesu Christi, speciebus tantum manentibus, immo nec Cyrillo Hierosolymitano quidem in descriptione eius modi, quo Christus fit praesens in altari, aequiparandus est. Tamen pro sua in toto sacrae doctrinae ambitu praeponderante auctoritate omnium post eum theologorum usque ad Divum Thomam dux fuit etiam in speculatione eucharistica. Qui theologi omnes contenderunt propriam mentem ab Augustini cogitatione derivare eamque fulcire auctoritate ipsius gravissima. Equidem alter studuit vindicare sibi magnum doctorem pro suo realismo, alter vero pro suo spiritualismo. Inde evenit, ut et aetatis Carolingorum et saeculorum, quibus nova methodus scholastica accrevit, theologi non minus discrepent in explicatione eorundem dogmatum, quae eadem fide firmiter ferventerque quisque amplectebatur, quam dissentiant in commentatione doctoris praeter omnes aestimati. Dilucidissime de hac bipertita Augustini sequela agit Jos. Geiselmann in suo opere: „Die Eucharistielehre der Vorscholastik" (Forschungen zur Christl. Lit.- u. Dogmengeschichte, hrg. von A. Ehrhard und J. P. Kirsch, XV. Band, 1./3. Heft, Paderborn 1926). Doleas vel gaudeas de hoc rerum cursu, non tamen mireris, quod Augustini imperfectio quaestionem instigans plus apud posteros valuit quam arcta monumentorum liturgiae veterum complectio et Ambrosii alta in disserendo planities. Quod forte miraris Ambrosii nempe metabolismum ab Augustino vel ignorari vel etiam abrogari, supponas propter disciplinam arcani diligenter iam tunc servatam nec libros, qui intitulantur „De mysteriis", nec eos qui intitulantur:

„De sacramentis", quos Germanus Morin Ambrosio auctori restituit, in cognitionem communem venisse.

Magnae scias molis erat redigere in unum, quas per multa scripta episcopus Hipponensis de eucharistia lucubrationes disperserit. Loca, tempora, casus, personae saepe saepius hanc rem tractandam ei suggerebant. Scribens ex aliquo sacro suggestu, qui ei supervenit tum ex pastorali officio, tum ex occasione sermocinandi, tum ex necessitate impugnandi haereticos, temporis indigentiae magis satisfacere in animo habebat quam ita texere instructiones, ut totum quid per partes bene dispositum oriatur. Carolus Adam aggressus est magnum opus et eruendi progressum speculationis ab ingenio tam versatili atque veritatis servitio indefesse incumbenti institutae et describendi omnem gyrum, quo finaliter ab ipso retenta concluduntur. Quae scripserat in libro eximio: „Die Eucharistielehre des hl. Augustin" (Forschungen zur Christl. Lit.- u. Dogmengeschichte, hrg. von A. Ehrhard und J. P. Kirsch, VIII. Band, 1. Heft, Paderborn 1908) necesse non habuit retractare, postquam longa eaque gravis sermonum series a Germano Morin partim inventorum partim Augustino sententialiter vindicatorum in lucem prodiit. Videsis commentationem: „Zur Eucharistielehre des hl. Augustinus" in: Theologische Quartalschrift, 112. Jhrg. 4. Heft, 490—536, Augsburg 1931 ab ipso publicatam. Sermones vero memoratos reperies in: Miscellanea Agostiniana, vol. I, Romae MDCCCCXXX (MA I).

In seligendo praecipuos textus eucharisticos non summam, sed medullam praebere doctrinae S. doctoris mihi proposui. Nullum tamen eorum textuum, qui seu progressus seu connectionem huius doctrinae firmare iuvant, me fugisse censeo. Formam textuum assumpsi a Benedictinis Sancti Mauri adoptatam atque in collectione Migne reproductam (PL) in eis libris, quos nondum recensuerunt editores collectionis Vindobonensis (CSEL). Orthographiam autem et interpunctionem aeque in omnibus operibus ex PL recepi et hodierno usui paululum accomodavi.Textus ex aliis S. patribus deprompti inveniuntur, nisi aliud notatur, in huius florilegii fasc. VII: Monumenta eucharistica et liturgica vetustissima. Ed. G. Rauschen, Edit. altera emend. 1914.

In studio textuum hic collectorum multum iuvabunt art. „Augustin (Saint)", script. ab E. Portalié in Dictionnaire de Théol. Cath., ed. A. Vacant, t. I, col. 2418—2426, et art. „Eucharistie, d'après les pères", script. a G. Bareille ibidem, t. V, col. 1173—1179. Haud aeque necessarium erit adducere R. Lawson (Turmel?), L'eucharistie dans saint Augustin (Rev. d'hist. et de littér. rel., t. VI, Paris 1920, p. 99—152, 472—525), qui nostrum doctorem modernistarum symbolismo favere vult, et G. Lecordier, La doctrine de l'eucharistie chez saint Augustin (Paris 1930), qui eum realismo scholasticorum pro-

ximum esse autumat. Quaecumque autem spectant ad liturgiam ecclesiae Africanae, collecta invenies in utilissimo opere: W. Roetzer O. S. B., Des heiligen Augustinus Schriften als liturgiegeschichtliche Quelle, München 1930. Restat ut illustrissimis viris, D. Germano Morin, confratri venerabundo, et Carolo Adam, magistro perdilecto, ex corde proferam grati animi homagium.

Series Textuum in hoc Fasciculo allatorum.

	pag.
Sermo 56, 6, 10	5
,, 57, 7	6
,, 58, 4, 5	6
,, 59, 3, 6	7
,, 71, 11, 17	7
,, 112, 1, 1 et 4, 4 et 5, 5	8
,, 131, 1	10
,, 172, 2, 2	11
,, 227	12
,, Denis III	15
,, Denis VI	18
,, 272	20
,, Guelferbyt. VII	22
,, 234, 2	24
,, 235, 2, 3	25
,, 239, 2, 2	25
,, 273, 7	26
Confess., l. IX c. 11, 27	27
,, l. IX, c. 12, 32	27
,, l. IX, c. 13	27
Ep. 36, 10, 24	28
,, 54	29
,, 98, 9	34
,, 149, 16, 17	35
Ep. 185, 11, 50	38
De Trin., l. III, 4, 10	38
,, l. III, 10, 21	39
,, l. IV, 14, 19	40
C. ep. Parmen., l. II, 5, 10	40
,, l. II, 6, 11	41
C. adv. leg. et proph., l. I, 18, 37	42
,, l. I, 20, 39	43
C. Faust. Man., l. XX, 13	44
,, l. XX, 18	44
De civ. Dei, l. X, 6	45
,, l. X, 20	47
,, l. XVI, 22	47
,, l. XXI, 25, 2	49
,, l. XXII, 10	50
De pecc. mer. et rem., l. I, 20, 26 et 27	51
,, l. I, 24, 34	53
In Joh. ev., tr. 11, 4 et 5	53
,, tr. 26, 11—20	56
,, tr. 27, 11 et 12	62
,, tr. 47, 2	63
En. in ps. 33, en. 1	63
En. in ps. 98, 9	71

SERMO 56, 6, 10 (PL XXXVIII, 381).

Sermones 56, 57, 58, 59 (PL XXXVIII, 377—402) de oratione dominica, sicut in Evang. Matth. c. VI, 7—13 invenitur, ad competentes habiti sunt dies octo post traditionem symboli, in die redditionis eiusdem, dies circ. octo ante diem Paschae, et quidem Ss. 57 et 59 ante annum 410, S. 56 inter a. 410 et 412, S. 58 inter a. 412 et 416. Similem orationis dominicae explicationem iam a. 393 vel 394 scripserat Augustinus in 2. libro „De sermone Domini in monte", cap. 4—11 (PL XXXIV, 1275—1287). Optime novit expositiones Tertulliani „De oratione" et Cypriani „De dominica oratione". Quartam postulationem: P a n e m n o s t r u m maximam esse eorum, quae postulantur, censet auctor librorum De Sacr. VI, 5, 24.

Sed istum panem, carissimi, quo venter impletur, quo caro quotidie reficitur; istum ergo panem videtis Deum dare, non solum laudatoribus suis, sed etiam blasphematoribus: QUI FACIT SOLEM SUUM ORIRI SUPER BONOS ET MALOS, ET PLUIT SUPER IUSTOS ET INIUSTOS (Mth. 5, 45). Laudas, pascit te: blasphemas, pascit te. Ut poenitentiam agas, exspectat te: sed si non te mutaveris, damnat te.

Quia ergo panem istum accipiunt a Deo et boni et mali, putas non est aliquis panis quem petunt filii, de quo dicebat Dominus in Evangelio, NON EST BONUM TOLLERE PANEM FILIORUM, ET MITTERE CANIBUS (Mth. 15, 26). Est plane. Quis est iste panis? et quare dicitur quotidianus? Et iste necessarius est: etenim sine illo vivere non possumus; sine pane non possumus. Impudentia est ut a Deo petas divitias: non est impudentia ut petas panem quotidianum. Aliud est unde superbias, aliud est unde vivas. Tamen quia iste panis visibilis et tractabilis datur et bonis et malis; est panis quotidianus quem petunt filii. Ipse est sermo Dei[1], qui nobis quotidie erogatur. Panis noster quotidianus est: inde vivunt non ventres, sed mentes. Necessarius est nobis etiam nunc operariis in vinea; cibus est, non merces[2]. Ope-

[1] Orig. in Num. hom. 16, 9: Bibere autem dicimur sanguinem Christi non solum sacramentorum ritu, sed et cum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit.

[2] S. Guelf. IX, 4 (MA, 470): Christus se ipsum dat operariis suis: se ipsum praestat in pane, se ipsum servat in mercede . . . Pascit modo laborantes, quibus manet integra merces.

rario enim duas res debet, qui illum conducit ad vineam, cibum, ne deficiat, et mercedem, unde gaudeat. Cibus noster quotidianus in hac terra, sermo Dei est, qui semper erogatur ecclesiis: merces nostra post laborem vita aeterna nominatur. Iterum in isto pane nostro quotidiano si intelligas quod fideles accipiunt, quod accepturi estis baptizati; bene rogamus et dicimus, PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE: ut sic vivamus, ne ab illo altari separemur[1].

SERMO 57, 7 (PL XXXVIII, 389).

Norunt etiam spiritualem alimoniam fideles[2], quam et vos sciturі estis, accepturi de altare Dei. Panis erit et ipse quotidianus, huic vitae necessarius. Numquid enim Eucharistiam accepturi sumus, cum ad ipsum Christum venerimus, et cum illo in aeternum regnare coeperimus? Ergo Eucharistia panis noster quotidianus est: sed sic accipiamus illum, ut non solum ventre, sed et mente reficiamur. Virtus[3] enim ipsa, quae ibi intelligitur, unitas est, ut redacti in corpus eius, effecti membra eius, simus quod accipimus. Tunc erit vere[4] panis noster quotidianus . . .

SERMO 58, 4, 5 (PL XXXVIII, 395).

Intelligitur etiam hoc valde bene, PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE, eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, et bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant, ut boni fiant, ut in bonitate et fide et vita bona perseverent. Hoc optant, hoc orant: quia si non perseveraverint in vita bona, separabuntur ab illo pane.

[1] Cypr. De dom. orat. 18: Hunc autem panem dari nobis cotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus et eucharistiam eius cotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et communicantes a caelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur. — Crimina separantia enumerat Aug., C. duas ep. Pelag. 4, 9, 26: Quid tam in libero arbitrio constitutum, quam quod lex dicit, non adorandum idolum, non moechandum, non homicidium perpetrandum? Ista autem sunt atque huiusmodi crimina, quae si quisquam commiserit, a corporis Christi communione removetur. — Haec separatio fit ipsius peccatoris iudicio (S. 351, 4, 7): Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatione corporis et sanguinis Domini, ut qui separari a regno coelorum timet per ultimam sententiam summi iudicis, per ecclesiasticam disciplinam a sacramento coelestis panis interim separetur; S. 132, 4.

[2] Haec locutio passim apud Aug. invenitur (e. gr. S. 5, 7; S. 9, 10; S. 113, 2) semperque, disciplinam ut aiunt arcani adhuc vigentem aperte demonstrans, eucharistiam intendit. Cfr. In Joh. tr. 26, 13: Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant.

[3] Acutissime hic distinguitur a re sensibili virtus intelligibilis, quae est unitas in corpore Christi mystico. Item S. 227; S. 229; cfr. En. in ps. 74, 4: Fit totus Christus caput et corpus, et ex multis unus.

[4] De civ. Dei 21, 25, 2: reipsa manducaverunt; ibid., 4: re vera manducare.

Ergo, PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE, quid est? Sic vivamus, ut ab altari tuo non separemur. Et verbum Dei, quod quotidie vobis aperitur, et quodam modo frangitur, panis quotidianus est. Et quomodo illum ventres, sic istum esuriunt mentes. Et hunc ergo petimus simpliciter, et quidquid animae nostrae et carni nostrae in hac vita necessarium est, quotidiano pane concluditur.

SERMO 59, 3, 6 (PL XXXVIII, 401).

Sequitur in oratione: PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE. Sive exhibitionem corpori necessariam petamus a Patre, in pane significantes quidquid nobis est necessarium, sive quotidianum panem illum intelligamus, quem accepturi estis de altari, bene petimus, ut det nobis eum. Quid est enim quod oramus, nisi ne mali aliquid admittamus, unde a tali pane separemur? Et verbum Dei quod quotidie praedicatur[1], panis est. Non enim quia est panis ventris, ideo non est panis mentis. Cum autem vita ista transierit, nec panem illum quaeremus quem quaerit fames; nec sacramentum altaris[2] habemus accipere, quia ibi erimus cum Christo, cuius corpus accipimus; nec verba nobis ista dici habent, quae dicimus vobis, nec codex legendus est, quando ipsum videbimus quod est verbum Dei, per quod facta sunt omnia, quo pascuntur angeli, quo sapientes fiunt angeli, non quaerentes verba locutionis anfractuosae; sed bibentes unicum Verbum unde impleti ructant laudes, et non deficiunt in laudibus. BEATI ENIM, ait Psalmus, QUI HABITANT IN DOMO TUA; IN SAECULA SAECULORUM LAUDABUNT TE (Ps. 83, 5).

SERMO 71, 11, 17 (PL XXXVIII, 453).

S. 71, habitus a. 417 ex impulsu cordis (c. 5, 8) loquitur de blasphemia in Spiritum Sanctum, exponendo Mth. 12, 32. Quaerens modum, quo quis blasphemans reus sit irremissibilis delicti, S. Aug. affert analogiam ex modis, quibus sumitur eucharistia. Quaestionem ipsam solvit (c. 12, 20) statuens, eam impoenitentiam, quae contradicit gratiae remissionis peccatorum, esse irremissibilem blasphemiam.

Illud etiam quod ait, QUI MANDUCAT CARNEM MEAM, ET BIBIT SANGUINEM MEUM, IN ME MANET, ET EGO IN ILLO (Joh. 6, 57); quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus quod IUDICIUM SIBI MANDUCENT ET BIBANT (1. Cor. 11, 29); cum ipsam carnem manducent, et ipsum sanguinem

[1] S. 132, 1; De Trin. 3, 4, 10.
[2] Nomen hoc nostris temporibus praeter cetera usitatum inv. etiam De civ. Dei 10, 6; in plurali S. 95, 7; S. 226; De sancta virg. 45, 46.

bibant? Numquid et Judas magistri venditor et traditor impius, quamvis primum ipsum manibus eius confectum [1] sacramentum carnis et sanguinis eius cum caeteris discipulis, sicut apertius Lucas evangelista declarat, manducaret et biberet (Lc. 22, 21), mansit in Christo aut Christus in eo? Tam multi denique, qui vel corde ficto [2] carnem illam manducant et sanguinem bibunt, vel cum manducaverint et biberint, apostatae fiunt, numquid manent in Christo; aut Christus in eis? Sed profecto est quidam modus [3] manducandi illam carnem, et bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducaverit et biberit, in Christo manet, et Christus in eo. Non ergo quocumque modo quisquam manducaverit carnem Christi, et biberit sanguinem Christi, manet in Christo, et in illo Christus; sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat. Sic igitur et in eo quod ait QUI BLASPHEMAVERIT IN SPIRITUM SANCTUM, NON HABET REMISSIONEM IN AETERNUM, non quocumque modo blasphemaverit, reus est huius irremissibilis delicti; sed modo quodam, quem nos quaerere atque intelligere voluit, qui hanc sententiam veram terribilemque deprompsit.

SERMO 112, 1, 1 ET 4, 4 ET 5, 5 (PL XXXVIII, 643 ET 645).

S. 112 de verbis Evang. Lucae 14, 16—24 habitus est inter a. 412 et 420 Carthagine in Basilica Restituta (scl. a Donatistis in proprietatem Catholicorum).

Lectiones sanctae propositae sunt, et quas audiamus, et de quibus aliquid sermonis, adiuvante Domino, proferamus. In lectione apostolica gratiae aguntur Domino de fide gentium, utique ideo, quia ipse fecit. In Psalmo diximus: DEUS VIRTUTUM, CONVERTE NOS, ET OSTENDE FACIEM TUAM, ET SALVI ERIMUS (Ps. 79, 8, 20). In Evangelio, ad coenam vocati sumus: imo alii vocati, nos non vocati, sed ducti; non so-

[1] Hunc terminum realem Christi praesentiam intendentem Aug. communem habet cum Cyrillo Hier., Cat. myst. 5, 7: *ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα Χριστοῦ, τὸν δὲ οἶνον αἷμα Χριστοῦ*, et cum Ambrosio, De myst. 9, 53: Et hoc quod conficimus corpus, ex virgine est; Cfr. En. in ps. 10, 6: Christus quid vobis fecit, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis et ore suo commendatam, sicut caeteris Apostolis traderet?

[2] C. ep. Parmen. 2, 10, 20: Quod si hoc in oratione ficte et non veraciter dicant (scl. Donatistae), putantes se non habere quod eis dimittat Deus, idipsum est inexpiabile sacrilegium, ea ipsa impia est et vesana superbia, quod est certe immane peccatum; De bapt. c. Don. 5, 8, 9: Sicut enim Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo praebuit, sic indigne quisque sumens dominicum sacramentum non efficit ut, quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini et sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat apostolus: Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat et bibit.

[3] De civ. Dei 21, 25, 1 et 2; Origen., In Joh. t. XIII, 30 loquens de Judae communione: *Νοείσθω δὲ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ποτήριον τοῖς μὲν ἁπλουστέροις κατὰ τὴν κοινοτέραν περὶ τῆς εὐχαριστίας ἐκδοχήν, τοῖς δὲ βαθύτερον ἀκούειν μεμαθηκόσιν κατὰ τὴν θειοτέραν καὶ περὶ τοῦ τροφίμου τῆς ἀληθείας λόγου ἐπαγγελίαν.*

lum ducti, sed etiam coacti. Sic enim audivimus, quia HOMO QUIDAM FECIT COENAM MAGNAM. Quis est iste homo, nisi MEDIATOR DEI ET HOMINUM HOMO CHRISTUS JESUS (1 Tim. 2, 5)? Misit ut venirent invitati, quia hora iam venerat, ut venirent. Qui sunt invitati, nisi per praemissos vocati prophetas? Quando? Olim ex quo mittuntur prophetae, invitant ad coenam Christi. Mittuntur ergo ad populum Israel. Saepe missi sunt, saepe vocaverunt, ut ad horam coenae venirent. Illi autem invitantes acceperunt, coenam repudiaverunt. Quid est, Invitantes acceperunt, coenam repudiaverunt? Prophetas legerunt, et Christum occiderunt. Sed quando occiderunt, tunc nobis coenam nescientes praeparaverunt. Parata iam coena immolato Christo, post resurrectionem Christi commendata[1] quam sciunt fideles, coena Domini, eiusque manibus et ore firmata, missi sunt apostoli, ad quos missi fuerant ante prophetas. Venite ad coenam.

Sequuntur excusationes venire nolentium. Quinque iuga boum ementi is comparatur, qui curiositate quinque sensuum impeditus credere non vult. Prosequitur c. 4, 4:

Et tamen vocaturus ad coenam contra excusationem quinque iugorum boum: BEATI, INQUIT, QUI NON VIDENT ET CREDUNT (Joh. 20, 25—29). Nos, fratres mei, ad coenam vocati, ab istis quinque iugis non sumus impediti. Non enim faciem carnis Domini videre in hoc tempore concupivimus, aut vocem ex ore carnis illius procedentem auribus admittere desideravimus: nullum in illo temporalem odorem quaesivimus. Perfudit eum quaedam mulier pretiosissimo unguento, domus illa odore impleta est sed nos ibi non fuimus; ecce non olfecimus, et credimus. Coenam manibus suis consecratam[2] discipulis dedit; sed nos in illo convivio non discubuimus; et tamen ipsam coenam fide quotidie manducamus. Nec magnum putetis in illa coena, quam suis manibus dedit, sine fide interfuisse: melior exstitit fides postea, quam tunc perfidia. Non ibi fuit Paulus qui credidit: ibi fuit Judas qui tradidit. Quam multi et modo in ipsa coena, quamvis illam tunc mensam non viderint, nec panem quem Dominus gestavit in manibus, oculis suis aspexerint, vel faucibus gustaverint; tamen quia ipsa est quae nunc praeparatur, quam multi etiam nunc in ipsa coena iudicium sibi manducant et bibunt.

5. Unde autem tamquam occasio nata est Domino, ut de ista coena loqueretur? Dixerat unus de discumbentibus (in convivio enim erat, quo fuerat invitatus): BEATI QUI MANDUCANT PANEM IN REGNO DEI. Quasi in longinqua iste suspirabat, et ipse panis ante illum discum-

[1] En. I. in ps. 33, 7—10.

[2] Eandem vocem „consecrare" invenies e. gr. S. 234, 2; S. 272; De Trin. 3, 4, 10; C. Faust. 20, 13. Communem habet eam Aug. non solum cum Tert., Adv. Marc. 4, 40; De an. 17, sed etiam cum Origene, In Mth. t. XI, 14 (ed. de la Rue III, 499) et Ambr., De myst. 9, 50; 9, 54; De Sacram. 4, 14; 5, 21.

bebat. Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit, EGO SUM PANIS VIVUS, QUI DE COELO DESCENDI (Joh. 6, 41)? Noli parare fauces[1], sed cor. Inde commendata est ista coena. Ecce credimus in Christum, cum fide accipimus. In accipiendo novimus, quid cogitemus. Modicum accipimus, et in corde saginamur[2]. Non ergo quod videtur[3], sed quod creditur, pascit. Non ergo etiam sensum illum externum quaesivimus; nec diximus, crediderint qui Dominum ipsum resurgentem, si verum est quod dicitur, viderunt oculis, manibus palpaverunt: nos non tangimus, quare credimus? Si talia cogitaremus, quinque illis jugis boum a coena impediremur.

S. 131, 1 (PL XXXVIII, 729—730).

Sermo 131 De verbis Evang. Johannis, c. VI, 54—66: NISI MANDUCAVERITIS CARNEM, habitus est contra Pelagianos ad mensam S. Cypriani die dominica, 23. septembr. a. 417.

Audivimus veracem magistrum, divinum redemptorem, humanum salvatorem, commendantem[4] nobis pretium[5] nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore et sanguine suo: corpus dixit escam, sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles. Audientes autem quid aliud quam audiunt? Cum ergo commendans talem escam et talem potum diceret, NISI MANDUCAVERITIS CARNEM MEAM ET BIBERITIS SANGUINEM MEUM, NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS (et hoc diceret de vita, quis alius quam ipsa vita? Erit autem illi homini mors, non vita, qui mendacem putaverit vitam), scandalizati sunt discipuli eius, non quidem omnes, sed plurimi, dicentes apud se ipsos: DURUS EST HIC SERMO, QUIS EUM POTEST AUDIRE? Cum autem hoc Dominus apud semetipsum cognovisset, et murmura cogitationis audisset, cogitantibus, nec voce sonantibus respondit, ut se auditos esse cognoscerent, et talia cogitare desinerent. Quid ergo respondit? HOC VOS SCANDALIZAT? SI ERGO VIDERITIS FILIUM HOMINIS ASCENDENTEM UBI ERAT PRIUS? Quid sibi vult, HOC VOS SCANDALIZAT? Putatis quia de hoc corpore meo quod videtis, partes facturus sum, et membra mea concisurus, et vobis daturus? Quid, SI ERGO VIDERITIS FILIUM HOMINIS ASCENDENTEM UBI ERAT PRIUS? Certe qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo et de corpore ac sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem, et tam magnam

[1] In Joh. tr. 25, 12; tr. 27, 3; similiter tr. 26, 12.
[2] Tert., De res. carn. 8; De pud. 9 (opimitas); Cypr., Ep. 63, 11 (saturitas); cfr. in c. 7 huius S.: intrinsecus saginemur.
[3] Ambr., De myst., 9, 50; 9, 54.
[4] S. 227; S. 229; S. Guelf. VII; En. 1, 6 in ps. 33; En. 2, 7 in ps. 33.
[5] S. 9, 10; S. 1 in ps. 48; S. Den. III, 3; Conf. 9, 12.

breviter solvit de sua integritate quaestionem. Manducent ergo qui manducant, et bibant qui bibunt; esuriant et sitiant: vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici est: sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficeris. Illud bibere quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam, et integra est vita [1]. Tunc autem hoc erit, id est, vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate [2] spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Audivimus enim ipsum Dominum dicentem, SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT, CARO AUTEM NON PRODEST QUIDQUAM. VERBA QUAE LOCUTUS SUM VOBIS, SPIRITUS ET VITA SUNT. SED SUNT, inquit, QUIDAM QUI NON CREDUNT. Ipsi dicebant, DURUS EST HIC SERMO, QUIS EUM POTEST AUDIRE? Durus est, sed duris: hoc est, incredibilis, sed incredulis.

S. 172, 2, 2 (PL XXXVIII, 936—937).

S. 172 de verbis apostoli, I. Thess. 4, 12, nescio quo tempore habitus, loquitur in cap. 2 de orationibus et sacrificiis et eleemosynis pro defunctis. Scripsit de hac re etiam speciale opusculum: De cura pro mortuis gerenda (PL XL, 591—610; CSEL XLI, 619—660).

Proinde pompae funeris, agmina exsequiarum, sumptuosa diligentia sepulturae, monumentorum opulenta constructio vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. Orationibus vero sanctae ecclesiae, et sacrificio salutari [3], et eleemosynis, quae pro eorum spiri-

[1] In S. 5, 7 (de lucta Jacob cum Angelo) similiter virtus dandi vitam tribuitur carni Christi: Sed ille quid dixit, NON TE DIMITTAM, NISI ME BENEDIXERIS? Quia per carnem nos prius benedixit Dominus. Norunt fideles quid accipiunt, quia per carnem benedicuntur; et sciunt quia non essent benedicti, nisi caro illa crucifixa daretur pro saeculi vita . . . Teneamus ergo fideles, quod accepimus, ut benedici mereamur.; De peccat. mer. et rem. I, 20, 26; 24, 34; Op. imp. c. Jul. II, 30; III, 38; S. 239, 2. Attamen carnaliter tantum novisse Dominum non sufficit nobis iuxta eundem S. 5, 7: Dicit enim in evectione profectus sui Paulus, ET SI NOVERAMUS SECUNDUM CARNEM CHRISTUM, SED NUNC IAM NON NOVIMUS; et VETERA TRANSIERUNT, ECCE FACTA SUNT NOVA, OMNIA AUTEM EX DEO (2 Cor. 5, 16—18). Quid est, Et si noveramus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus? Quia quando eum carnaliter noveramus, non putabamus nisi quia homo erat tantum: at vero postquam gratia eius illuxit nobis, intelleximus Verbum aequale Patri.

[2] C. Adim. 12, 3; Enchir. 66; Corpus euchar. non identificandum esse cum corpore historico Aug. saepissime ac gravissime monet, e. gr. S. 57, 7; S. 71, 11, 17; S. 112; S. 272; In Joh. tr. 25, 12; tr. 27, 2; tr. 27, 3; tr. 27, 5; En. 1 in ps. 33; En. in ps. 98, 9; De civ. Dei 21, 20; 21, 25, 1. Sequitur in hoc Cyrilli Cat. myst. 4, 4; 4, 7; concordat cum De Sacr. 6, 1, 2.

[3] En. 1, 6 in ps. 33; Conf. 9, 13; Enchir. 110: Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur vel eleemosynae in Ecclesia fiunt; C. Cresc. Don. I, 25, 30: Quid de ipso corpore et sanguine Domini unico sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat: NISI QUIS MANDUCAVERIT CARNEM MEAM ET BIBERIT SANGUINEM MEUM, NON HABEBIT IN SE VITAM: nonne idem apostolus docet etiam hoc perniciosum male utentibus fieri?; De bapt. c. Don. III, 19, 27: Nondum eis (scl. sacrificiis

tibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum [1], universa observat ecclesia, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo [2] commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiae celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis haec utilia esse post mortem. Nam qui sine fide quae per dilectionem operatur, eiusque sacramentis, de corporibus exierunt, frustra illis a suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius, dum hic essent, pignore, caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, et sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum praecedentibus consequentia ista redduntur. Non enim actum est, nisi cum hic viverent, ut eos haec aliquid adiuvarent, cum hic vivere destitissent. Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam. (N. 3 vers. fin.:) Verum illa quae adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes [3], multo pro eis observantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter amant.

S. 227 (PL XXXVIII, 1099—1101).

Ss. 227, 229, 272, quos signanter eucharisticos nominare consuevimus, habiti sunt in die Paschae, et quidem S. 227 eodem die quo S. 226 (Satis sint vobis pauca ista, quoniam et post laboraturi sumus, et de sacramen-

Judaeorum) successerat sacrificium quod ipse post in ecclesia voluit celebrari pro illis omnibus, quia illis omnibus ipse praenuntiabatur.

[1] Cfr. Tert., De mon. 10: Offert (scl. maritus) annuis diebus dormitionis eius (scl. uxoris); De cor. 3: oblationes pro defunctis annua die facimus.

[2] De civ. Dei 20, 9: Neque enim piorum animae mortuorum separantur ab ecclesia, qua nunc etiam est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi; De cura pro mort. ger. 1, 1, 3: In precibus sacerdotis quae Domino Deo ad eius altare funduntur locum suum habet etiam commendatio mortuorum; ibid. 4, 6: Non sunt praetermittendae supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes aut filii aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi; De sancta virg. 45, 46: Fidelibus notum est quo loco martyres et quo defunctae sanctimoniales ad altaris sacramenta recitentur. Cfr. Anaph. Serapionis 4, 17; Cyrilli Cat. myst. 5, 9; Constit. Apost. 8, 13, 17.

[3] Cfr. Justini M. Dial. 117; Orig. C. Cels. 8, 33; Tert. De or. 19.

tis altaris hodie infantibus disputandum est) anno 416 vel 417, S. 229 inter a. 405 et a. 411; S. 272, qui apud Maurinos falso inscribitur: in die Pentecostes, habitus est inter a. 405 et 411. Omnino his sermonibus correspondet S. Guelferbytanus VII, ed. a Germano Morin, restans ex a. 410 usque 412, plurimi aestimatus etiam a Carolo Adam, qui contradicit editori incunctanter S. Augustino adscribenti etiam S. Denis III et S. Denis VI, quem partim Sermonis 229 loco ediderant Maurini. Debuit tunc temporis episcopus sermonem infantibus, i. e. nocte praeterita baptizatis, ut eos instrueret de sacramentis altaris, de quibus nihil adhuc audierunt (S. 228, 3), eosque admoneat (Den. III), quomodo bene accipiantur (S. 227). Expositionem dogmaticam et instructionem liturgicam, quas communes habent hi sermones cum catechesibus mystagogicis 4 et 5 S. Cyrilli Hieros., nimis breves nos hodierni dicimus. At certe aliquae catecheses de eo, quod in sacra nocte infantes viderunt (S. 272) et acceperunt (S. 227) sequebantur hanc instructionem morum, quae maxime inculcat amorem unitatis in hoc pane significatae ac firmatae, unitatis nempe in compage corporis s. d. mystici, ecclesiae Christi, cuius rei signum est panis sanctificatus. Sic infantes immunes reddit contra errores eorum, qui non tenent pacem, i. e. partis Donati. Arctissime ergo connectit Aug. et elementa eucharistiae et corpus Christi realiter praesens simul cum sanguine et virtutem totius sacramenti, quae est mystica unio fidelis uniuscuiusque cum Christo nec minus quam unio omnium fidelium cum Christo et inter se. Quicumque, ut Protestantium plerique, censent Augustinum figuralem tantum admittere praesentiam Christi in hoc sacramento, rationem non ferunt intentionis horum sermonum, qui realismum in ecclesia Africana vigentem, a Tertulliano et Cypriano firmissime assertum, magis praeponunt quam exponunt.

Memor sum promissionis meae. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis, sermonem quo exponerem mensae dominicae sacramentum, quod modo etiam videtis, et cuius nocte praeterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie [1] accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus [2] per verbum Dei, corpus est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus et sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. Si bene accepistis, vos estis quod accepistis [3]. Apostolus enim dicit: UNUS PANIS, UNUM CORPUS, MULTI SUMUS (1 Cor. 10, 17). Sic exposuit sacramentum mensae dominicae: UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS. Commendatur vobis in isto pane quomodo

[1] Quotidie accipiendam esse euch. docent Cypr. Ep. 58, 1 et 9; Ep. 63, 15; De laps. 2; Cyrill. C. m. 5, 15; De Sacr. 5, 4, 24; Aug. S. 57, 7; S. 58, 4; S. 112, 4; De serm. Dom. 2, 7, 25; S. Wilmart IX, 2 (MA I, 693). Alias semel tantum in anno (Chrys. Hom. 5 in 1 Tim., n. 3; De Sacr. 5, 4, 24) aut certis diebus (Basil. Ep. 93; Aug. Ad inqu. Januar. 1, S. 1 in ep. 54, 2; In Joh. tr. 26, 15) accipiebatur.

[2] Haec vox correspondet termino *ἁγιαζόμενος* (Cyrill. 5, 7; Orig. in Mth. 11, 14), invenitur apud Cypr. (Ep. 70, 1; De laps. 25; Ep. 63, 9, 14; Ep. 65, 4), idem valet atque consecratus. Cfr. De Trin. 3, 4, 10.

[3] Item S. Den. III, 4; S. Den. VI, 1; S. 72; cf. S. 57, 7: ut simus quod accipimus.

unitatem [1] amare debeatis. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana [2]? Sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam coniuncta sunt, et post quandam contritionem. Nisi enim molatur triticum, et per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quae panis vocatur. Sic et vos ante jejunii humiliatione et exorcismi sacramento quasi molebamini [3]. Accessit baptismus et aqua: quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritus sancti est sacramentum. In Actibus Apostolorum advertite, quando legitur. Modo incipit liber ipse legi: hodie coepit liber qui vocatur Actuum Apostolorum [4]. Qui vult proficere, habet unde. Quando convenitis ad ecclesiam, tollite fabulas vanas: intenti estote ad Scripturas. Codices vestri nos sumus. Attendite ergo, et videte, quia venturus est Pentecoste Spiritus sanctus. Et sic veniet: in linguis igneis se ostendit. Inspirat enim charitatem, qua ardeamus in Deum, et contemnamus mundum, et fenum nostrum exuratur, et cor quasi aurum purgetur. Accedit ergo Spiritus sanctus post aquam ignis: et efficimini panis, quod est corpus Christi. Et ideo unitas quodam modo significatur. Tenetis sacramenta ordine [5] suo. Primo post orationem, admonemini sursum habere cor [6]. Hoc decet membra Christi. Si enim membra Christi facti estis, caput vestrum ubi est? Membra habent caput. Si caput non praecessisset, membra non sequerentur. Quo ivit caput vestrum? Quid reddidistis in Symbolo? Tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Ergo in coelo est caput nostrum [7]. Ideo cum dicitur, Sursum cor; respondetis, Habemus ad Dominum. Et ne hoc ipsum quod cor habetis sursum ad Dominum, tribuatis viribus vestris, meritis vestris, laboribus vestris, quia Dei donum est sursum habere cor; ideo sequitur episcopus vel presbyter qui offert, et dicit, cum responderit populus, Habemus ad Dominum sursum cor: Gratias agamus Domino Deo nostro, quia sursum cor habemus. Gratias agamus, quia nisi donaret, in terra cor haberemus. Et vos attestamini, Dignum et justum est dicentes, ut ei

[1] Cf. S. 71, 3; Ep. 185, 11, 50; Ep. 187, 6, 20; De civ. D. 21, 20; Ign. ad Philad. 4; ad Eph. 20, 2; Tert. de or. 6; Vocatur Euch. sacramentum unitatis S. Guelf. VII, 1; In Joh. tr. 26, 13 et 15; De civ. D. 10, 6; mysterium pacis et unitatis S. 272; concordia unitatis S. Guelf. VII, 2; panis concordiae In Joh. tr. 26, 15.

[2] Haec similitudo iam invenitur in antiquissimo monumento doctrinae euchar.: Didache 9, 4 et in Anaph. Serap. 3, 14; cf. S. 272; S. Guelf. VII, 2.

[3] S. 229; S. 272; S. Guelf. VII, 2; De fide et op., 6.

[4] S. 315, 1: Actus Apostolorum liber est de canone Scripturarum. Ipse liber incipit legi a dominico paschae, sicut se consuetudo habet ecclesiae; In. Joh. tr. 6, 18.

[5] Eundem ordinem vide Den. VI, 3.

[6] Jam inv. apud Cyrill. 5, 4; Cypr. De dom. or. 31 et passim apud Aug., sed semper in singulari, sicut Const. Ap. 8, 12, 4 habent: *Ἄνω τὸν νοῦν.*

[7] En. in ps. 56, 1; 123, 1; 136, 22.

gratias agamus qui nos fecit sursum ad nostrum caput habere cor. Deinde post sanctificationem sacrificii Dei [1], quia nos ipsos voluit esse sacrificium suum, quod demonstratum est, ubi impositum est primum illud, sacrificium Dei et nos, id est signum rei [2] quod sumus: ecce ubi est peracta sanctificatio dicimus orationem dominicam [3], quam accepistis et reddidistis. Post ipsam dicitur, Pax vobiscum [4]: et osculantur se Christiani in osculo sancto. Pacis signum est: sicut ostendunt labia, fiat in conscientia. Id est, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum a corde eius non recedat. Magna ergo sacramenta, et valde magna. Vultis nosse quomodo commendentur? Ait Apostolus: QUI MANDUCAT CORPUS CHRISTI, AUT BIBIT CALICEM DOMINI INDIGNE, REUS ERIT CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI (1 Cor. 11, 27). Quid est indigne accipere? Irridenter accipere, contemptibiliter accipere. Non tibi videatur vile [5], quia vides. Quod vides, transit: sed quod significatur invisibile [6], non transit; sed permanet [7]. Ecce accipitur, comeditur, consumitur: numquid corpus Christi consumitur? numquid ecclesia Christi consumitur? numquid membra Christi consumuntur? Absit. Hic mundantur, ibi coronantur. Manebit ergo quod significatur aeternaliter, quanquam transire videatur. Sic ergo accipite, ut vos cogitetis, ut unitatem in corde habeatis, sursum cor semper figatis. Spes vestra non sit in terra, sed in coelo: fides vestra firma sit in Deum, acceptabilis sit Deo. Quia quod modo hic non videtis, et creditis; visuri estis illic, ubi sine fine gaudebitis.

S. DENIS III (MA I, 18—20; PL XLVI, 827—828).

Hunc sermonem de sacramentis in die Paschae Michael Denis e societate Jesu suppressa (1729—1800) primum a. 1792 Vindobonae edidit ex codice nunc in Bibl. Nat. Neapol. asservato (c. lat. 14). Denuo eum in lucem protulit Germanus Morin in MA I, collatum cum textu in codice

[1] Sic nominatur actus consecratorius etiam Ep. 149, 16; C. Faust. 20, 18.

[2] Cf. adn. 3 ad h. S.

[3] Den. VI, 3; S. 58, 10; S. 59, 1; Or. dom. hoc loco in ordine canonis invenitur Cyrill. C. m. 5, 11.

[4] Den. VI, 6, 3; C. lit. Pet. 2, 23, 53; En. in ps. 124, 10. Ante Sursum cor datur pax apud Cyrill. 5, 3; Const. Ap. 8, 11, 9.

[5] Cf. Justin., Apol. 1, 66: *κοινὸς ἄρτος*; Cyrill. 3, 3: *λιτός, κοινός*; 4, 6: *ψιλός* De Sacr. 4, 4, 14: usitatus; Iren. adv. haer. 4, 18, 5: communis; Aug., S. 372, 2: viles epulae.

[6] Cf. Chrys. hom. 82 in Mth.: *Ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητά σοι παραδίδωσι*; Cyrill. 4, 9: *ὁ φαινόμενος ἄρτος οὐκ ἄρτος ἐστίν, εἰ καὶ τῇ γεύσει αἰσθητός, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ.*

[7] Cf. C. Faust. 19, 16. Platonem sapis etiam S. 105, 5, 7: Quae enim videntur, temporalia sunt . . . Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit, ut retro respicias: id est, ut in rebus praesentibus (nec praesentibus; non enim dicenda sunt praesentia nunquam stantia) spem tuam ponas; et ab eo, quod promisit Christus et nondum dedit, sed quia fidelis est, dabit, avertas animum tuum, et velis requiescere in mundo praetereunte.

Casinensi (c. lat. XVII) reperto. Iudicet sagacior quisque ac bene instructus, utrum C. Adam iure sibi consulat hunc sermonem potius esse adscribendum nescio cui auctori Arianam haeresim inter Gallos seu etiam Hispanos saeculo quinto impugnanti.

Reddendi sermonis officium, et cura qua vos parturivimus, ut Christus formaretur in vobis (Gal. 4, 19), compellit nos admonere infantiam vestram, qui ex aqua et spiritu nunc renati cibum ac potum istum super hanc dominicam mensam nova luce conspicitis, et novella pietate percipitis, quid sibi velit tam magnum divinumque sacramentum, tam clarum et nobile medicamentum [1], tam mundum et facile sacrificium, quod nunc nec in una civitate terrena Jerusalem, nec in tabernaculo illo quod per Moysen, nec in templo illo quod per Salomonem fabricatum est, quae fuerunt umbrae futurorum [2], sed A SOLIS ORTU USQUE AD OCCASUM (Mal. 1, 11), sicut a prophetis praedictum est, immolatur, et secundum novi testamenti gratiam [3] Deo victima laudis offertur. Non adhuc de gregibus pecorum hostia cruenta conquiritur, non nunc ovis aut hircus divinis altaribus admovetur, sed sacrificium iam nostri temporis corpus et sanguis est ipsius sacerdotis [4]. De illo quippe tanto ante praedictum est in psalmis, TU ES SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDEC (Ps. 109, 4). Quod autem panem et vinum Melchisedec sacerdos Dei excelsi protulerit, quando patrem nostrum Abraham benedixit, in libro Genesis legimus et tenemus.

2. Christus ergo Dominus noster, qui obtulit patiendo pro nobis quod nascendo accepit ex nobis, princeps sacerdotum factus in aeternum, sacrificandi dedit ordinem quem videtis, corporis utique et sanguinis sui. Nam percussum lancea corpus eius aquam et sanguinem emisit, quo peccata nostra dimisit [5]. Huius gratiae memores, vestram ipsorum salutem operantes (Phil. 2, 12), quoniam Deus est qui operatur in vobis (Phil. 2, 13), cum timore et tremore [6] ad participationem huius altaris accedite. Hoc agnoscite in pane, quod pepen-

[1] S. 174, 6, 7; De pecc. mer. et rem. 1, 24, 34; Ep. 54, 3, 4; De Sacr. 4, 6, 28; 5, 4, 24.

[2] Cfr. Col. 2, 17; Hebr. 10, 1; De civ. D. 10, 20; 16, 22; 19, 23, 5; C. advers. leg. et proph. 1, 18, 37; 2, 11, 36; De spir. et lit. 21, 36; Ambr., De myst. 8, 49; En. in ps. 38, 25.

[3] Cfr. Ep. 140.

[4] Cfr. S. 9, 10, 14: Iam nosti pretium tuum, iam nosti quo accedis, quid manduces, quid bibas; immo quem manduces, quem bibas; S. 235, 2, 3; De civ. D. 10, 20.

[5] S. 218, 14: Quod latus lancea percussum in terra sanguinem et aquam manavit, procul dubio sacramenta sunt, quibus formatur ecclesia, tanquam Eva facta de latere dormientis Adam, qui erat forma futuri; In Joh. tr. 6, 16; 120, 2; De Trin. 3, 10, 21; cfr. De Sacr. 5, 1, 4.

[6] Sic passim in script. sacra, e. g. Tob. 13, 6; 2 Mach. 15, 23; 2 Cor. 7, 15; Phil. 2, 12; Eph. 6, 5.

dit in cruce: hoc in calice, quod manavit ex latere. Nam et illa vetera sacrificia populi Dei hoc unum venturum multiplici varietate figurabant [1]. Ipse enim Christus et ovis est propter innocentiam simplicis animi, et hircus propter similitudinem carnis peccati. Et quicquid aliud multis et diversis modis in sacrificiis testamenti veteris praenuntiatum est, ad hoc unum pertinet quod novo testamento revelatum est [2].

3. Accipite itaque et edite corpus Christi, etiam ipsi in corpore Christi facti iam membra Christi; accipite et potate sanguinem Christi. Ne dissolvamini, manducate vinculum vestrum; ne vobis viles videamini, bibite pretium vestrum. Sicut in vos hoc convertitur, cum id manducatis et bibitis, sic et vos in corpus Christi convertimini, cum oboedienter et pie vivitis. Ipse namque sua iam propinquante passione, cum pascha faceret cum discipulis suis, acceptum panem benedixit, et ait: HOC EST CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS TRADETUR (1 Cor. 11, 24). Similiter benedictum calicem dedit dicens: HIC EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI, QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM (Mth. 26, 28). Hoc in evangelio vel legebatis vel audiebatis, sed hanc eucharistiam esse Filium [3] nesciebatis: nunc vero aspersi corde (Hebr. 10, 22) in conscientia pura, et loti corpore aqua munda, ACCEDITE AD EUM, ET INLUMINAMINI, ET VULTUS VESTRI NON ERUBESCENT (Ps. 33, 6). Hoc enim si digne accipitis, quod pertinet ad testamentum novum, per quod aeternam hereditatem speratis, tenentes mandatum novum ut vos invicem diligatis, habetis in vobis vitam. Illam enim carnem sumitis, de qua dicit ipsa vita: PANIS QUEM EGO DEDERO, CARO MEA EST PRO SAECULI VITA (Joh. 6, 52); et, NISI QUIS MANDUCAVERIT CARNEM MEAM, ET BIBERIT SANGUINEM MEUM, NON HABEBIT IN SE VITAM (Joh. 6, 54).

4. Habentes ergo vitam in illo, in carne una eritis cum illo. Neque enim hoc sacramentum Christi corpus ita commendat, ut vos inde seiungat. Hoc namque Apostolus in scriptura sancta praedictum esse commemorat: ERUNT DUO IN CARNE UNA. SACRAMENTUM HOC, inquit, MAGNUM EST; EGO AUTEM DICO IN CHRISTO ET IN ECCLESIA (Eph. 5, 31, 32). Et alio loco de hac ipsa eucharistia dicit: UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS (1 Cor. 10, 17). Accipere ergo incipitis quod et esse coepistis, si non indigne accipiatis, ne iudicium vobis manducetis et

[1] C. Faust. 22, 27, De un. bapt. c. Pet., 7; cfr. De myst. 8, 49; 8, 59.

[2] En. in ps. 143, 2: Meministis enim quanta in veteri lege legamus et non observemus; sed tamen ad aliquam significationem praemissa et proposita intelligamus: non ut abiiciamus legem Dei, sed ut sacramenta promittentia impleta promissione non celebremus. Quod enim promittebant, venit. Gratia enim novi testamenti in lege velabatur, in evangelio revelatur.

[3] Cfr. En. in ps. 9, 1: Nam et ipse Dominus cum sine additamento ponit Filium seipsum unigenitum vult intelligi, ubi ait: SI VOS FILIUS LIBERAVERIT, TUNC VERE LIBERI ERITIS (Joh. 8, 36); In Joh. tr. 26, 19; S. 374, 3; De civ. D., 10, 20.

bibatis. Sic enim dicit: QUICUMQUE MANDUCAVERIT PANEM AUT BIBERIT CALICEM DOMINI INDIGNE, REUS ERIT CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI. PROBET AUTEM SE HOMO, ET SIC DE PANE EDAT, ET DE CALICE BIBAT; QUI ENIM MANDUCAT ET BIBIT INDIGNE, IUDICIUM SIBI MANDUCAT ET BIBIT (1 Cor. 11, 27—29).

5. Digne autem accipitis, si a malae doctrinae fermento caveatis, ut sitis azymi sinceritatis et veritatis; aut si fermentum illud caritatis teneatis, quod abscondit mulier in farinae mensuris tribus, donec fermentaretur totum [1]. Haec enim mulier est sapientia Dei, facta per virginem in carne mortali, quae in toto orbe terrarum, quem de tribus Noe filiis post diluvium reparavit, tamquam in mensuris tribus suum disseminat evangelium, donec fermentaretur totum. Hoc est illud totum, quod graece dicitur OLON, ubi custodientes vinculum pacis eritis secundum totum, quod CATHOLON vocatur, et unde catholica [2] nominatur.

S. DENIS VI (MA I, 29—32; PL XLVI, 834—836).

Hunc quoque sermonem a M. Denis ex cod. Neapolit. lat. 14 emissum G. Morin ad codd. Casin. XVII et Guelferbytanum 4096 recognitum denuo in lucem protulit. Habitus est in die Paschae inter a. 405 et 411 sec. A. Kunzelmann, „Zur Chronologie der Sermones des hl. Augustinus" (in: Miscellanea Agostiniana, vol. II, Roma, 1931, p. 440, 515). Doctrinam vero huius sermonis esse genuinam C. Adam pro certo minime habet.

Hoc quod videtis, carissimi, in mensa Domini, panis est et vinum: sed iste panis et hoc vinum accedente verbo fit corpus et sanguis Verbi [3]. Ille enim Dominus, qui IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, ET VERBUM ERAT APUD DEUM, ET DEUS ERAT VERBUM (Joh. 1, 1), propter misericordiam suam, qua non contempsit quod creavit ad imaginem suam, VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS (Joh. 1, 14), sicut scitis; quia et ipsum Verbum adsumsit hominem, id est, animam et carnem hominis, et homo factus est, manens Deus. Propter hoc, § [4] quia et passus est pro nobis, commendavit nobis in isto sacramento

[1] S. 111, 1: Tria sata farinae, de quibus Dominus loquebatur, genus humanum est. Recolite diluvium: unde caeteri repararentur, tres remanserunt. Tres filios habebat Noe, de ipsis reparatum est genus humanum. Mulier illa sancta quae abscondit fermentum, sapientia est. Ecce clamat orbis totus in ecclesia Dei: EGO COGNOVI QUIA MAGNUS EST DOMINUS (Ps. 134, 5).

[2] Hac voce saepissime atque invariabiliter Aug. utitur pro ecclesia catholica. Cfr. De unit. eccl. 2, 2: Quae (scl. ecclesia) utique una est, quam maiores nostri catholicam nominaverunt.

[3] Cfr. In Joh. tr. 80, 3: Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum; S. Guelferb. VII, 1.

[4] Quae his signis §§ concluduntur, Maurini ex Bedae et Flori collectione ad 1 Cor. 10 sermonis 229 loco ediderunt (PL XXXVIII, 1103).

corpus et sanguinem suum, quod etiam fecit et nos ipsos. Nam et nos corpus ipsius facti sumus, et per misericordiam ipsius, quod accipimus, nos sumus. Recordamini quid fuit aliquando creatura ista in agro, quomodo eam terra peperit, pluvia nutrivit, ad spicam perduxit; deinde labor humanus ad aream conportavit, trituravit, ventilavit, recondidit, protulit, moluit, consparsit, coxit, et vix aliquando ad panem perduxit. Recordamini et vos: non fuistis, et creati estis, ad aream dominicam conportati estis, laboribus boum, id est, annuntiantium evangelium triturati estis. Quando catechumeni differebamini, in horreo servabamini. Nomina vestra dedistis; coepistis moli ieiuniis et exorcismis. Postea ad aquam venistis, et consparsi estis, et unum facti estis. Accedente fervore Spiritus sancti cocti estis, et panis dominicus facti estis.

2. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo unum videtis esse quod factum est, sic unum estote et vos, diligendo vos, tenendo unam fidem, unam spem, individuam caritatem. Haeretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt: quia illi quaerunt divisionem, cum panis iste indicet unitatem. Sic et vinum in multis acinis fuit, et modo in unum est: unum est in suavitate calicis, sed post pressuram torcularis. Et vos post illa ieiunia, post labores, post humilitatem et contritionem, iam in nomine Christi tamquam ad calicem Domini venistis; et ibi vos estis in mensa, et ibi vos estis in calice. Nobiscum hoc estis: simul enim hoc sumus, simul bibimus, quia simul vivimus. §

3. Audituri estis, quod etiam hesterno die audistis: sed hodie vobis exponitur quod audistis, et quod respondistis, aut forte cum responderetur tacuistis, sed quid respondendum esset hodie heri didicistis. Post salutationem quam nostis, id est DOMINUS VOBISCUM, audistis SURSUM COR. Tota vita christianorum verorum, Sursum cor: non christianorum nomine solo, sed christianorum re ipsa et veritate, tota vita sursum cor. Quid est, sursum cor? Spes in Deo, non in te: tu enim deorsum es, Deus sursum est. Si spem habes in te, cor deorsum est, non est sursum. Ideo, cum audieritis a sacerdote, Sursum cor, respondetis HABEMUS AD DOMINUM. Laborate ut verum respondeatis, quia apud acta Dei respondetis: sic sit, quomodo dicitis; non lingua sonet, et conscientia neget. Et quia hoc ipsum, ut sursum habeatis cor, Deus vobis donat, non vires vestrae, ideo sequitur, cum dixeritis habere vos sursum cor ad Dominum, sequitur sacerdos et dicit, DOMINO DEO NOSTRO GRATIAS AGAMUS. Unde gratias agamus? Quia sursum cor habemus, et, nisi ille illud levasset, in terra iaceremus. Et inde iam quae aguntur in precibus sanctis quas audituri estis, ut accedente verbo fiat corpus et sanguis Christi. Nam tolle verbum, panis est et vinum: adde verbum et iam aliud est. Et ipsum aliud,

quid est? Corpus Christi, et sanguis Christi. Tolle ergo verbum, panis est et vinum: adde verbum, et fiet sacramentum [1]. Ad hoc dicitis AMEN. Amen dicere, subscribere est. Amen latine interpretatur verum. Deinde dicitur dominica oratio, quam iam accepistis et reddidistis [2]. Quare ante dicitur quam accipiatur corpus et sanguis Christi? Quia, sicut est humana fragilitas, si forte aliquid quod non decebat cogitatio nostra concepit, si aliquid lingua quod non oportebat effudit, si aliquid oculus sicut non decebat aspexit, si aliquid auris blandius quod non oportebat audivit, si forte aliqua talia contracta sunt de huius mundi temptatione et vitae humanae fragilitate, tergitur dominica oratione, ubi dicitur DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA (Mth. 6, 12); ut securi accedamus, ne quod accipimus in iudicium nobis manducemus et bibamus. Post hoc dicitur, PAX VOBISCUM [3]. Magnum sacramentum, osculum pacis: sic osculare, ut diligas. Ne sis Judas: Judas traditor Christum ore osculabatur, corde insidiabatur. Sed forte inimicum animum habet contra te aliquis, et non eum potes convincere, arguere: cogeris tolerare. Noli ei malum pro malo in corde tuo reddere: ille odit, tu ama, et securus oscularis. Audistis pauca, sed magna: non vilescant paucitate, sed cara sint pondere. Simul etiam onerandi non estis, ut ea quae dicta sunt teneatis.

S. 272 (PL XXXVIII, 1246—1248).

Hoc quod videtis in altari Dei, etiam transacta nocte vidistis: sed quid esset, quid sibi vellet, quam magnae rei sacramentum contineret, nondum audistis [4]. Quod ergo videtis, panis est et calix; quod vobis etiam oculi vestri renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei forte sufficiat: sed fides instructionem desiderat. Dicit enim propheta: Nisi credideritis, non intelligetis. Potestis enim modo dicere mihi: Praecepisti ut credamus, expone ut intelligamus. Potest enim in animo cuiusquam cogitatio talis suboriri: Dominus noster Jesus Christus, novimus unde acceperit carnem; de virgine Maria. Infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad iuvenilem aetatem perductus est, a Judaeis persecutionem passus est, ligno

[1] Cfr. In Joh. tr. 15, 4: Tolle aquam, non est baptismus; tolle verbum, non est baptismus.

[2] Videas, quae supra ad S. 59 attulimus.

[3] S. 227; En. in ps. 124, 10: Quibus respondetur, cum dixerint PAX VOBISCUM, Et cum spiritu tuo.

[4] Similiter Ambr., De myst. 9, 50: Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi adseris, quod Christi corpus accipiam; 9, 54: Ipse clamat Dominus Jesus: Hoc est corpus meum; ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum; ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur.

suspensus est, in ligno interfectus est, de ligno depositus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die voluit, in coelum ascendit, illuc levavit corpus suum; inde est venturus ut iudicet vivos et mortuos; ibi est modo sedens ad dexteram Patris: quomodo [1] est panis corpus eius? et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius? Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem [2]. Corpus ergo Christi si vis intelligere, apostolum audi dicentem fidelibus, VOS AUTEM ESTIS CORPUS CHRISTI, ET MEMBRA (1 Cor. 12, 27). Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa dominica positum est: mysterium vestrum accipitis; Ad id quod estis, AMEN [3] respondetis, et respondendo sub-

[1] Hanc quaestionem omnino aliter tractat Aug. atque Ambr., De myst. 9, 50, qui, docens conversionem naturae per consecrationem divinam, simpliciter idem ponit corpus historicum et corpus eucharisticum Christi, dicens: hoc quod conficimus, ex virgine est. Ad dilucidandam nostri doctoris opinionem animadverte, quid dicat S. 361, 7: Secundum praesentiam pulchritudinis et divinitatis suae semper cum patre est; secundum praesentiam corporalem iam supra coelos ad dexteram Patris sedet; secundum praesentiam vero fidei in omnibus christianis est. Item In Joh. tr. 50, 12, 13: Si in Petri persona significati sunt in ecclesia boni, in Judae persona significati sunt in ecclesia mali: ipsis dictum est: ME AUTEM NON SEMPER HABEBITIS: Quid est enim: NON SEMPER? Et quid est, semper? Si bonus es, si ad corpus pertines, quod significat Petrus: habes Christum et in praesenti et in futuro, in praesenti per fidem, in praesenti per signum, in praesenti per baptismatis sacramentum, in praesenti per altaris cibum et potum. Habes Christum in praesenti, sed habebis semper; quia cum hinc exieris, ad illum venies, qui dixit latroni, HODIE MECUM ERIS IN PARADISO (Luc. 23, 43). Si autem male versaris, videris habere in praesenti Christum, quia intras ecclesiam, signas te signo Christi, baptizaris baptismo Christi, misces te membris Christi, accedis ad altare Christi: in praesenti habes Christum, sed male vivendo non semper habebis. Potest et sic intelligi: PAUPERES SEMPER HABEBITIS VOBISCUM, ME AUTEM NON SEMPER HABEBITIS (Joh. 12, 8). Accipiant hoc et boni, sed non sint solliciti: loquebatur enim de praesentia corporis sui. Nam secundum maiestatem suam, secundum providentiam, secundum ineffabilem et invisibilem gratiam, impletur, quod ab eo dictum est, ECCE EGO VOBISCUM SUM USQUE IN CONSUMMATIONEM SAECULI (Matth. 28, 20). Secundum carnem vero quam Verbum assumpsit, secundum id quod de virgine natus est, secundum id quod a Judaeis prehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis involutus, quod in sepulcro conditus, quod in resurrectione manifestatus, NON SEMPER HABEBITIS VOBISCUM. Quare? Quoniam conversatus est secundum corporis praesentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, et eis deducentibus videndo non sequendo, ascendit in coelum, et non est hic. Ibi est enim, sedet ad dexteram Patris: et hic est, non enim recessit praesentia maiestatis. Aliter: secundum praesentiam maiestatis semper habemus Christum; secundum praesentiam carnis, recte dictum est discipulis, ME AUTEM NON SEMPER HABEBITIS. Habuit enim illum ecclesia secundum praesentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non videt; Ep. 187, 13, 41: Christum autem Dominum nostrum unigenitum Dei Filium aequalem Patri, eumdemque hominis filium quo maior est Pater, et ubique totum praesentem esse non dubites tanquam Deum, et in eodem templo Dei esse tanquam inhabitantem Deum, et in loco aliquo coeli propter veri corporis modum.

[2] Vide quam raptim transeat Aug. ad effectum in anima producendum non sine operatione bene accipientis. Nondum, scias, refutanda erat Pelagii exaggeratio.

[3] Iam inven. ap. Cyrill. 5, 21; Justin., Apol. 1, 65; Constit. Apost. 8, 12, 50

scribitis [1]. Audis enim, Corpus Christi, et respondes, Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. Quare ergo in pane? Nihil hic de nostro afferamus, ipsum apostolum identidem audiamus, qui cum de isto sacramento loqueretur, ait, UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS (1 Cor. 10, 17): intelligite et gaudete; unitas, veritas, pietas, caritas. Unus panis: quis est iste unus panis? Unum corpus multi. Recolite quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini. Quando baptizati estis, quasi conspersi estis. Quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis et accipite quod estis. Hoc apostolus de pane dixit. Iam de calice quid intelligeremus, etiam non dictum, satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis multa grana in unum consperguntur, tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait scriptura sancta, ERAT ILLIS ANIMA UNA, ET COR UNUM IN DEUM (Act. 4, 32): sic et de vino. Fratres, recolite unde fit vinum. Grana multa pendunt ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita et Dominus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis et unitatis nostrae in sua mensa consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Conversi ad Dominum [2] Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei, quantum potest parvitas nostra, maximas atque veras gratias agamus; precantes toto animo singularem mansuetudinem eius, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur; inimicum quoque a nostris actibus et cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, spirituales cogitationes concedat, et ad beatitudinem suam perducat: per Jesum Christum Filium eius. Amen.

S. QUELFERBYT. VII (MA I, 462—464).

S. sequentem Germanus Morin cum 33 aliis sermonibus repperit in codice Quelferbytano 4096, olim Wissemburgensi, quam novam messem primum edidit a. 1917, deinde secundis curis in vulgus protulit in: Miscellanea Agostiniana, vol. I, S. Aug. Sermones post Maurinos reperti . . . studio ac diligentia D. G. M. O. S. B., Romae MDCCCCXXX. Tractatus

hoc Amen in fine canonis. Ad consecrat. dicitur sec. S. Den. VI, 3, ad communionem sec. Dionys. Cor. juxta Eusebii hist. eccl. 7, 9, 4; Tert., De spect. 25; Ambr., De myst. 9, 9, 54; Aug., S. Guelf. VII, 1; C. Faust. 12, 10; In ps. 125, 9; S. 334, 2; S. 181, 5, 7; post orationes sec. De cat. rud. 1, 9; Ep. 217, 7; ad benedictionem sec. S. fragm. 3 c. Pelag.; Quid vox significet, vide De doctr. christ. 2, 11, 16; In Joh. tr. 41, 3; De cat. rud. 1, 9.

[1] Cfr. Cyrill. C. m. 5, 18: *ἐπισφραγίζειν*; S. Guelf. VII, 1; Den. VI, 3.

[2] Haec conversio fit versus orientem, quandocumque sermo communi oratione concluditur. Cfr. De serm. Dom. in monte 2, 15, 18; S. 67, 10; S. 183, 15; S. Den. II (MA I, 17); De disc. christ. 1, 14, 16; Hic usus contrarius fuit moribus Manichaeorum: cfr. C. Fortunat. disp. 1; C. Faust. 14, 11; 20, 5.

de Dominica Paschae, ad initiandos habitus, septimo loco ibi praesentatus, nostri doctoris de eucharistia speculationem acutissime expressam praebet, immo in intima universae speculationis theologicae Augustinianae viscera inducit. Cum omnes fere textus in hoc fasciculo collecti ad illustrandum hunc sermonem concurrant, adnotationes supersedere volui.

Vos in novam vitam regenerati, propter quod infantes vocamini; vos praecipue, qui hoc modo videtis, quid sibi haec velint, sicut vobis promiseramus, audite. Audite et fideles, qui videre consuestis: bona est commemoratio, ne subripiat oblivio. Quod videtis in mensa domini, quantum pertinet ad ipsarum rerum speciem, et in vestris mensis videre consuestis: ipse est visus, sed non ipsa virtus. Nam et vos idem ipsi estis homines, qui eratis: neque enim ad nos novas facies attulistis. Et tamen novi estis: veteres corporis specie, novi gratia sanctitatis, sicut et hoc novum est. Adhuc quidem, quomodo videtis, panis est et vinum: accedit sanctificatio, et panis ille erit corpus Christi, et vinum illud erit sanguis Christi. Hoc facit nomen Christi, hoc facit gratia Christi, ut hoc ipsum videatur quod videbatur, et tamen non hoc valeat quod valebat. Antea enim si manducaretur, impleret ventrem; modo cum manducatur, aedificat mentem. Sicut autem quando baptizati estis, immo autem antequam baptizaremini, die sabbati locuti sumus vobis de sacramento fontis, in quo tinguendi eratis, et diximus vobis, quod credo quia obliti non estis, hoc valuisse vel valere baptismum, quod est sepultura cum Christo, apostolo dicente, CONSEPULTI ENIM SUMUS CHRISTO PER BAPTISMUM IN MORTEM, UT QUEMADMODUM ILLE SURREXIT A MORTUIS, SIC ET NOS IN NOVITATE VITAE AMBULEMUS (Rom. 6, 4); ita et modo non ex corde nostro, neque ex praesumtione nostra, neque ex humanis argumentationibus, sed ex auctoritate apostoli, opus est vobis commendare et insinuare, quid sit quod accepistis vel accepturi estis. Ecce breviter audite apostolum, immo Christum per apostolum, de sacramento mensae dominicae quod ait: UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS (1 Cor. 10, 17). Ecce totum est, cito dixi: sed appendite verba, nolite numerare. Si verba numeratis, breve est; si appenditis, grande est. Unus panis, dixit. Quotquot ibi panes positi fuerint, unus panis: quotquot panes fuerint in altaribus Christi hodie per totum orbem terrarum, unus panis est. Sed quid est, unus panis? Exposuit brevissime: UNUM CORPUS MULTI SUMUS. Hoc panis corpus Christi, de quo dicit apostolus, alloquens ecclesiam: VOS AUTEM ESTIS CORPUS CHRISTI ET MEMBRA (1 Cor. 12, 27). Quod accipitis, vos estis, gratia qua redempti estis; subscribitis, quando Amen respondetis. Hoc quod videtis, sacramentum est unitatis.

Iam quia breviter nobis insinuavit apostolus quid hoc esset, considerate illud diligentius et videte, quomodo fiat. Quomodo fit panis?

Trituratur, molitur, a consparsura, in coctura: in consparsura mundatur, coctura firmatur. Ubi tritura vestra?

Hoc facti estis: ipsa fuit in ieiuniis, in observationibus, in vigiliis, in exorcismis. Molebamini, quando exorcizabamini. Consparsura non fit sine aqua: baptizati estis. Coctura molesta est, sed utilis. Quae est enim coctura? Ignis tentationum, sine quibus haec vita non est. Sed quomodo est utilis? VAS FIGULI PROBAT FORNAX, ET HOMINES IUSTOS TEMPTATIO TRIBULATIONIS (Eccli. 27, 6). Quomodo autem de singulis granis in unum congregatis et quodammodo sibimet consparsione commixtis fit unus panis, sic fit unum corpus Christi concordia caritatis. Quod autem habet corpus Christi in granis, hoc sanguis in acinis: nam et vinum de pressura exit, et quod in multis singillatim erat, in unum confluit, et fit vinum. Ergo et in pane et in calice mysterium est unitatis.

Quod autem audistis ad mensam Domini, Dominus vobiscum, hoc et quando de abside salutamus dicere solemus, et quotienscumque oramus hoc dicimus: quia hoc nobis expedit, ut semper sit Dominus nobiscum, quia sine illo nihil sumus. Quod autem sonuit in auribus vestris, videte quid dicatis ad altare Dei. Interrogamus enim quodammodo et admonemus, et dicimus: Sursum cor. Nolite iusum: cor putrescit in terra, levate illud in coelum. Sed quo sursum cor? quid respondetis? quo sursum cor? Habemus ad dominum. Ipsum enim sursum cor, aliquando bonum est, aliquando malum est. Quomodo malum est? In his malum, de quibus dictum est: DEIECISTI EOS, DUM EXTOLLERENTUR (Ps. 72, 18). Sursum cor, si non sit ad Dominum, non est iustitia, sed superbia; ideo cum dixerimus, Sursum cor, quia adhuc sursum cor potest esse superbia, vos respondetis, Habemus ad Dominum. Ergo dignatio est, non elatio: et quia est ista dignatio, ut sursum cor habeamus ad Dominum, nos illud fecimus? nos potuimus de viribus nostris? terram, quod eramus, in coelum levavimus? Absit: ipse fecit, ipse dignatus est, ipse manum misit, ipse gratiam suam porrexit, ipse quod iusum erat sursum fecit. Ideo cum dixerimus, Sursum cor, et responderitis, Habemus ad Dominum, ne vobis tribuatis quia sursum cor habetis, adiunxi: Gratias agamus Domino Deo nostro. Ista sunt mysteria brevia, sed magna: brevia dicimus, sed magna affectu. Cito enim haec vobis dicitis et sine codice, et sine lectione, sine longa disputatione. Commemorate vos quod estis, et in quo perseverare debetis, ut ad promissa Dei pervenire possitis.

S. 234, 2 (PL XXXVIII, 1116).

Ss. 232, 234, 235, 236, 239 de resurrectione Christi secundum Lucam, in expositione vv. 30 et 31 cap. 24 loquuntur de Eucharistia, optime inter

se consonantes, quia nimirum omnes circa a. 400 habiti sunt, et quidem iuxta ordinem evangelicarum lectionum ante 400 usitatam S. 235 et 239 feria tertia, s. 232 et 234 iuxta recentem ordinem tunc introductam feria quarta hebdomadis Paschae. Similiter s. 236 feria quarta habitus aestimatur. Maioris momenti inveniuntur sequentes passus:

Mementote tamen, carissimi, quemadmodum Dominus Jesus ab eis, quorum oculi tenebantur ne illum agnoscerent, in fractione panis voluit se agnosci. Norunt fideles, quid dicam: norunt Christum in fractione panis. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi [1], fit corpus Christi.

S. 235, 2, 3 (PL XXVIII, 1118—1119) et 3, 3 (ibid. 1119).

Eia, fratres, ubi voluit Dominus agnosci? In fractione panis. Securi sumus, panem frangimus, et Dominum agnoscimus. Noluit agnosci, nisi ibi; propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, et tamen manducaturi eramus eius carnem [2]. Quisquis ergo fidelis es, quisquis non inaniter Christianus vocaris, quisquis ecclesiam non sine causa ingrederis, quisquis verbum Dei cum timore et spe audis, consoletur te fractio panis. Absentia Domini, non est absentia: habeto fidem, et tecum est quem non vides. Illi, quando cum eis Dominus loquebatur, nec fidem habebant: quia eum resurrexisse non credebant, non resurgere posse sperabant. Perdiderant fidem, perdiderant spem. Ambulabant mortui cum vivente, ambulabant mortui cum ipsa vita; sed in eorum cordibus nondum renovata vita. — Et tu ergo, si vis habere vitam, fac quod fecerunt, ut agnoscas Dominum. Hospitio susceperunt ... Dominus ergo praesentavit se ipsum in fractione panis. Discite, ubi Dominum quaeratis, discite, ubi habeatis, discite, ubi agnoscatis, quando manducatis. Norunt enim fideles aliquid quod melius intelligunt in ista lectione, quam illi qui non noverunt.

S. 239, 2, 2 (PL XXXVIII, 1127).

Dominus itaque noster Jesus Christus ante panis fractionem ignotus loquitur cum hominibus, in panis fractione cognoscitur [3]: quia ibi

[1] C. Faust. 20. 13; De Trin. 3, 4, 10: Illud tantum, quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem, corpus Christi et sanguinem dicimus; S. Guelf. VII.

[2] S. 232, 7: Parum est, novimus, si credimus. Habeant illi Christum in convivio, nos intus in animo. Plus est Christum habere in corde, quam in domo.

[3] S. 89, 7: Finxit se longius ire, et tenetur, ne longius eat. Quantum igitur ad praesentiam corporalem absens putabatur Dominus Christus; absens putabatur, velut longius ibit. Tene fideliter, tene illum ad fractionem panis. Quid dicam? agnovistis? Si agnovistis, ibi Christum invenistis. Diutius de sacramento loquendum non est. Qui hoc sacramentum nosse differunt, longius ab eis Christus. Id teneant, non dimittant; invitent ad hospitium, et invitantur ad coelum.

percipitur, ubi vita aeterna percipitur. Hospitio suscipitur, qui domum parat in coelo.

S. 273, 7 (PL XXXVIII, 1251).

S. 273 habitus est die 21. Jan. 396 in natali martyrum Fructuosi ep., Augurii et Eulogii diaconorum.

Templa et sacrificia non martyribus, sed Deo soli exhibentur. Martyres loco meliore recitantur ad altare [1]. Et tamen, carissimi, nos martyres nostros, quibus illi nulla ex parte sunt conferendi, pro diis non habemus, non tanquam deos colimus. Non eis templa, non eis altaria, non sacrificia exhibemus. Non eis sacerdotes offerunt: absit. Deo praestantur [2]. Imo Deo ista offeruntur [3], a quo nobis cuncta praestantur. Etiam apud memorias [4] sanctorum martyrum cum offerimus, nonne Deo offerimus? Habent honorabilem locum martyres sancti. Advertite: in recitatione ad altare Christi loco meliore recitantur; non tamen pro Christo adorantur. Quando audistis dici apud memoriam sancti Theogenis, a me, vel ab aliquo fratre et collega meo, vel aliquo presbytero: Offero tibi, sancte Theogenes? aut offero tibi Petre? aut, offero tibi Paule? Numquam audistis. Non fit: non licet. Et si dicatur tibi, numquid tu Petrum colis? responde quod de Fructuoso respondit Eulogius: Ego Petrum non colo, sed Deum colo quem colit et Petrus. Tunc te amat Petrus. Nam si volueris pro Deo habere Petrum, offendis petram, et vide ne pedem frangas, offendendo in petram.

---

[1] S. 297, 3: Unde, quod norunt fideles, distincti a defunctis loco suo martyres recitantur; nec pro eis oratur, sed eorum orationibus ecclesia commendatur?; S. 159, 1, 1: Ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur; In Joh. tr. 84, 1.

[2] De civ. Dei 22, 10; S. 310, 2; S. 318, 1; S. 359, 6; C. Faust. 20, 21; Conf. 6, 2.

[3] De civ. Dei 8, 27, 1: Quis autem aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit?

[4] Sic nominabantur sacella super martyrum reliquias constructa. Cfr. Ep. 78, 3; En. in ps. 118; S. 30, 5; Conf. 5, 8. Inter quae eminet memoria S. Stephani (s. 322; s. 356, 7). Memoria S. Theogenis, ep. Hipponensis, una erat ex septem aedificiis sacris Hipponiensium Regiorum. (De martyrio huius sancti loquitur De bapt. c. Don. 6). De mensa Cypriani, sic dicta, non quia ibi epulatus, sed quia ibi est immolatus cfr. S. 310. Afros ad memorias panes attulisse ibique epulas habuisse, Ambrosium vero id prohibuisse in Italia, testatur Conf. 6 c. 2. — Quos abusus reprobat etiam Aug. En. in ps. 48, 15; De morib. eccl. cath. 1, 34; Ep. 22, 1, 6. J. Zellinger, Augustin und die Volksfrömmigkeit, München 1933, 65—70.

CONFESSIONUM L. 9, C. 11, 27 (CSEL XXXIII, 218—219; PL XXXII, 775).

In celeberrimis Confessionum libris circa a. 400 confectis Monicae matris morbum letalem narrans S. Augustinus, quae filiis mandaverit de cura pro se post mortem gerenda refert:

Et mox ambobus: „Ponite" inquit, „hoc corpus ubicumque; nihil vos eius cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei ubiubi fueritis." Cumque hanc sententiam verbis quibus poterat explicasset, conticuit et ingravescente morbo exercebatur.

CONFESSIONUM 9, 12, 32 (CSEL XXXIII, 221—2; PL XXXII, 777).

Cum ecce corpus elatum est, imus, redimus sine lacrimis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, iam iuxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet [1], nec in eis ergo precibus flevi, sed toto die graviter in occulto maestus eram, et mente turbata rogabam te, ut poteram, quo sanares dolorem meum, nec faciebas.

CONFESSIONUM 9, 13 (CSEL XXXIII, 224—5; PL XXXII, 778).

Et, credo, iam feceris quod te rogo, sed voluntaria oris mei adproba, Domine (Ps. 118, 108). Namque illa imminente die resolutionis suae non cogitavit suum corpus sumptuose contegi aut condi aromatibus, aut monumentum electum concupivit aut curavit sepulcrum patrium: non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei praetermissione [2] servierat, unde sciret dispensari victimam [3] sanctam, qua deletum est chirografum

[1] Hic usus Romae vigebat. Alias tertius, septimus et annuus dies oblatione insigniti sunt: Ep. 158, 2: Redemptionis sacramenta tertio die obtulimus; Quaest. in Heptat. 1, 172: Septimus vero dies auctoritatem in scripturis habet. Unde alio loco scriptum est: LUCTUS MORTUI SEPTEM DIERUM, FATUI AUTEM OMNES DIES VITAE EIUS (Eccli. 22, 13). Septenarius autem numerus propter sabbati sacramentum praecipue quietis indicium est: unde merito mortuis tamquam requiescentibus exhibetur.

[2] De sacrificio quotidiano: Ep. 98, 9; De civ. Dei 10, 20; In Joh. tr. 26, 15; S. Caillau II, 8 et 10: apud nos quotidianum sacrificium (MA I, 261).

[3] En. in ps. 149, 6: Hoc est quod fecit Christus. Nihil mundum invenit in hominibus, quod offerret pro hominibus; se ipsum obtulit mundam victimam. Felix victima, vera victima, hostia immaculata; De Trin. 4, 14, 19; S. Caillau II, 7: Jussit occidi et vitulum saginatum, id est, ut admitteretur ad mensam, in qua Christus pascitur occisus (MA I, 260).

quod erat contrarium nobis (Coloss. 2, 14) [1], qua triumphatus est hostis computans delicta nostra et quaerens, quod obiciat, et nihil inveniens in illo, in quo vincimus.

Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit, ut nos auferat ei? Ad cuius pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei [2]? Nemo a protectione tua dirrumpat eam. Non se interponat nec vi nec insidiis leo et draco: neque enim respondebit dimissa illa nihil se debere, ne convincatur et obtineatur ab accusatore callido, sed respondebit dimissa debita [3] sua ab eo, cui nemo reddet quod pro nobis non debens reddidit.

EP. 36, C. 10, N. 24 (CSEL XXXIV, 53—4; PL XXXIII, 147).

Ep. 36, directa a. 396 vel 937 ad Casulanum presb., refutat sermonem cuiusdam urbe Roma oriundi pro sabbati ieiunio satis inepte disputantis. Optime sacramenta veteris et novae legis hic comparantur.

Iste autem, qui vetera transisse sic dicit, ut in Christo cederet ara altari, gladius ieiunio, precibus ignis, pani pecus, poculo sanguis, nescit altaris nomen magis legis et prophetarum litteris frequentatum, et altare Deo prius in tabernaculo, quod per Moysen factum est, conlocatum (Exod. 40, 24); aram quoque in apostolicis litteris inveniri, ubi martyres clamant sub ara Dei (Apoc. 6, 9, 10). Dicit cessisse ieiunio gladium, non recordans illum, quo milites evangelici armantur ex utroque testamento, gladium bis acutum (Eph. 6, 17; Hebr. 4, 12). Dicit cessisse precibus ignem, quasi non et tunc preces deferebantur in templum, et nunc a Christo ignis est missus in mundum (Luc. 12, 49). Dicit cessisse pani pecus tanquam nesciens et tunc in domini mensa panes propositionis poni solere (Exod. 25, 30), et nunc se de agni immaculati corpore partem [4] sumere. Dicit cessisse poculo sanguinem non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem (Luc. 22, 7—20). Quanto ergo melius et congruentius vetera transisse et nova in Christo

[1] Identitatem sacrificii quotidiani cum sacrificio in cruce oblato docent: En. 1 in ps. 33; C. ep. Parm. 2, 6, 11; De spir. et lit. 11, 18: Unde et in ipso verissimo et singulari sacrificio Domino Deo nostro agere gratias admonemur.

[2] S. 21, 5; S. 113, 2.

[3] Enchir. 109, 29: Pro valde bonis gratiarum actiones sunt (sc. sacrificia sive altaris sive quarumcumque eleemosynarum); pro non valde malis propitationes sunt; pro valde malis etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio aut certe, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

[4] S. Mai 129, 1 (MA I, 375): Manducetur Christus: vivit manducatus, quia surrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit, et norunt fideles quemadmodum manducant carnem Christi: unusquisque accipit partem suam, unde et ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, et manet integer totus; per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in coelo, manet integer totus in corde tuo.

facta esse sic diceret, ut cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, sanguis sanguini. Videmus quippe in his omnibus carnalem vetustatem spiritali cedere novitati [1]. Sic ergo intelligendum est, sive in isto die volubili septimo prandeatur, sive a quibusdam etiam ieiunetur, tamen sabbato spiritali sabbatum carnale cessisse; quando in isto sempiterna et vera requies concupiscitur, in illo vacatio temporalis iam superstitiosa contemnitur.

EP. 54 (CSEL XXXIV, 158—168; PL XXXIII, 199—204).

„Libri duo quorum est titulus ‚Ad inquisitiones Januarii' multa de sacramentis continent disputata, sive quae universaliter, sive quae partiliter, non peraeque in omnibus locis observat ecclesia, nec tamen commemorari omnia potuerunt, sed satis ad inquisita responsum est". Sic Aug. ipse in Retr. 2, 46. Liber 2. ad inquis. Jan. seu ep. 55 scriptus est ca. a. 400 „de residuis enodandis quaestionibus, quas iam longe ante quaesiveras".

Dilectissimo filio Januario [2], Augustinus in Domino salutem. (I, 1) Ad ea quae me interrogasti, mallem prius nosse quid interrogatus ipse responderes; ita enim vel adprobando vel emendando responsiones tuas multo brevius possem respondere et te facillime aut confirmarem aut corrigerem. Hoc quidem, ut dixi, mallem. Sed tamen ut nunc responderem, malui longiorem facere sermonem quam dilationem. Primo itaque tenere te volo, quod est huius disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in evangelio loquitur, leni iugo suo nos subdidisse et sarcinae levi (Matth. 11, 30). Unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis [3], societatem novi populi conligavit, sicuti est baptismus trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius et si quid aliud in scripturis canonicis commendatur exceptis

[1] S. 352, 1, 3; En. in ps. 143, 2: Gratia enim novi testamenti in lege velabatur, in evangelio revelatur; Ep. 54, 1.

[2] In aliqu. Mss. intitulatur notarius.

[3] C. Faust. 19, 13: Proinde prima sacramenta, quae observabantur et celebrabantur ex lege, praenuntiativa erant Christi venturi: quae cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; et ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere legem sed adimplere: et alia sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam iustitiae fidei revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei iugo servitutis ablato (Gal. 5, 1, 13), quod duro et carni dedito populo congruebat; En. in ps. 73, 2: Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora; De doctr. Christ. 3, 9: Hoc vero tempore posteaquam resurrectione Domini nostri manifestissimum initium nostrae libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quae iam intelligimus, operatione gravi onerati sumus: sed quaedam pauca pro multis eademque factu facillima et intellectu augustissima et observatione castissima ipse Dominus et apostolica tradit disciplina: sicuti est baptismi sacramentum et celebratio corporis et sanguinis Domini.

his, quae servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum et prophetici temporis onerabant, quae et in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem, quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis apostolis [1] vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas [2], commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio et resurrectio et ascensio in coelum, et adventus de coelo Spiritus sancti anniversaria sollemnitate celebrantur et si quid aliud tale occurrit, quod servatur [3] ab universa, quacumque se diffundit, ecclesia.

2, 2. Alia vero quae per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii ieiunant sabbato, alii non; alii quotidie communicant corpori et sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum et dominico, alibi tantum dominico et si quid aliud huius modi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes [4] nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, nisi ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter habendum et propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandum est.

n. 3 narrat Mediolani Monicam sabbato non ieiunasse admonitam ab Ambrosio, qui ei etiam contradixit ad memorias martyrum Afrorum more cibos afferenti. Cfr. Conf., 6, 2.

3, 4. Dixerit aliquis non quotidie accipiendam eucharistiam. Quaesieris: quare? „Quoniam", inquit, „eligendi sunt dies quibus purius homo continentiusque vivit, quo ad tantum sacramentum dignus accedat; QUI ENIM MANDUCAVERIT INDIGNE, IUDICIUM SIBI MANDUCAT ET BIBIT" (1 Cor. 2, 29). Alius contra: „Imo", inquit, „si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altario removeri [5] ad agendam

[1] De bapt. 4, 24, 31 et 5, 23, 31 et 2, 7, 12.

[2] De bapt. 2, 3, 4 et 2, 9, 14.

[3] De bapt. 4, 5, 7 et 5, 17, 23; Ep. 55, 19, 35: Consuetudine universae ecclesiae; Ep. 55, 15 consensione; Ep. 36, 2: In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura divina, mos populi Dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt; item De cura pro mort. ger. 1, 1, 3.

[4] Ep. 36, 9: Sit ergo una fides universae, quae ubique dilatatur ecclesiae tamquam intus in membris, etiam si ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur. OMNIS ENIM PULCHRITUDO FILIAE REGIS INTRINSECUS (Ps. 44, 14); De bapt. 2, 9, 14: Universum partibus semper optima iure praeponitur.

[5] Ep. 153, 3, 6: Quosdam, quorum crimina manifesta sunt, a societate removemus altaris, ut poenitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo; De Gen. ad lit. 11, 40, 54: In hoc paradiso solent a sacra-

poenitentiam et eadem auctoritate reconciliari — hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere poenitentiam —, non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni vel reddat. Ceterum peccata si tanta non sunt, ut excommunicandus quisque iudicetur, non se debere a quotidiana medicina [1] dominici corporis separare." Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet, ut praecipue in Christi pace permaneant. — Faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum [2]. Neuter enim eorum exhonorat corpus et sanguinem Domini, sed saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se aut quisquam eorum se alteri praeposuit Zachaeus et ille centurio, cum alter eorum GAUDENS in domum suam SUSCEPERIT Dominum (Luc. 19, 6), alter dixerit: NON SUM DIGNUS UT SUB TECTUM MEUM INTRES (Matth. 8, 8), ambo salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo; ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem quod in primo populo unicuique manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat, sic uniuscuiusque in corde Christiani sacramentum illud, quo subiugatus est mundus. Nam et ille honorando non audet quotidie sumere et ille honorando non audet ullo die praetermittere [3]. Contemptum solum non vult cibus iste sicut manna fastidium. Inde enim Apostolus indigne dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant a ceteris cibis veneratione singulariter debita; continuo quippe, cum dixisset, IUDICIUM SIBI MANDUCAT ET BIBIT, addidit, ut diceret: NON DIIUDICANS CORPUS DOMINI (1 Cor. 11, 29), quod satis toto ipso loco in epistola ad Corinthios prima, si diligenter attendatur, apparet.

4, 5. Sit aliquis peregrinus in eo forte loco, ubi perseverantes in observatione quadragesimae nec quinta sabbati lavant, relaxantve ieiunium: „Non", inquit, „hodie ieiunabo." Quaeritur causa, „Quia

---

mentis altaris visibilibus homines disciplina ecclesiastica removeri; S. 351, 4, 7: Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatione corporis et sanguinis Domini: ut qui separari a regno coelorum timet per ultimam sententiam summi iudicis, per ecclesiasticam disciplinam a sacramento coelestis panis interim separetur; C. duas ep. Pel. 4, 9, 26: Quid tam in libero arbitrio constitutum, quam quod lex dicit, non adorandum idolum, non moechandum, non homicidium perpetrandum? Ista autem sunt atque huiusmodi crimina, quae si quisquam commiserit, a corporis Christi communione removetur.

[1] S. 17, 5: Propter ipsa peccata humana et tolerabilia, et tanto crebriora, quanto minora, constituit Deus in ecclesia tempore misericordiae praerogandae quotidianam medicinam, ut dicamus DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA etc. (Matth. 6, 12): ut his verbis lota facie ad altare accedamus, et his verbis lota facie corpore Christi et sanguine communicemus. Cfr. De Sacr. 4, 6, 28; 5, 2, 24; Cyrill., C. myst. 5, 15.

[2] Cfr. I. Gennadii De ecclesiasticis dogmatibus, 23 (Inter Aug. opp., PL XLII, 1218): Quotidie Eucharistiae communionem percipere nec laudo nec vitupero.

[3] Ipsius Aug. mentem vid. S. 58, 4.

non fit", inquit, „in patria mea". Quid aliud iste nisi consuetudinem suam consuetudini alterius praeponere conatur? Non enim mihi de libro Dei hoc recitaturus est aut universae, qua dilatatur, ecclesiae plena voce certabit aut ostendet istum contra fidem facere, se autem secundum fidem, moresque hinc optimos aut illum violare aut se custodire convincet. Violant sane quietem et pacem suam de superflua quaestione rixando. Mallem tamen in rebus huius modi, ut et ille in huius et hic in illius patria ab eo, quod ceteri faciunt, non abhorreret. Sive etiam in aliena patria cum peregrinaretur, ubi maior et frequentior et ferventior est populus dei, vidit verbi gratia bis offerri quinta sabbati ultimae quadragesimae et mane et ad vesperam veniensque in patriam suam, ubi in fine diei mos est offerri, male atque inlicite fieri contendat, quoniam alibi aliter ipse viderit, puerilis est iste sensus cavendus in nobis, tolerandus et corrigendus in nostris.

5, 6. Prima ergo inquisitio tua, quam in commonitorio posuisti, ex quo trium istorum generum sit, adtende. Quaeris enim hic verbis: „Quid per quintam feriam ultimae hebdomadis quadragesimae fieri debeat? an offerendum sit mane et rursus post coenam, propter illud, quod dictum est, SIMILITER POSTQUAM COENATUM EST (Luc. 22, 20), an ieiunandum et post coenam tantum modo offerendum, an etiam ieiunandum et post oblationem, sicut facere solemus, coenandum[1]?" Ad haec itaque ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divinae scripturae praescribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus, ut iam non quo modo faciendum sed quo modo sacramentum intelligendum sit, disputemus; similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentat ecclesia; nam et hinc, quin ita faciendum sit, dubitare insolentissimae insaniae est. Sed neque hoc neque illud est in eo, quod tu quaeris. Restat igitur, ut de illo tertio genere sit, quod per loca regionesque variatur. Faciat ergo quisque, quod in ea ecclesia, in quam venit, invenit[2]. Non enim quicquam eorum contra fidem est aut mores fiunt hinc vel inde meliores. His enim causis, id est aut propter fidem, aut propter mores vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel institui, quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quae utilitate adiuvat, novitate perturbat. Quapropter quae utilis non est, perturbatione infructuosa et consequenter noxia est.

6, 7. Nec ideo putari debet institutum esse multis locis, ut illo die post refectionem offeratur, quia scriptum est: IDENTIDEM ET CALICEM

[1] Eucharistiam ante omnem cibum sumendam esse iam inculcat Tert., Ad ux. 2, 5; De cor. 3.

[2] Quoad usum ecclesiae Africanae cfr. Can. 29 synod. Carthag. III., a. 397 factae: Ut sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepta uno die anniversario, quo coena domini celebratur (Mansi, S. Conc. ampl. coll. III, 885).

POST COENAM DICENS; ipsam enim potuit appellare coenam, quod iam corpus acceperant, ut deinde calicem acciperent, — nam quia alibi dicit: CONVENIENTIBUS ERGO VOBIS IN UNUM NON EST DOMINICAM COENAM MANDUCARE (1 Cor. 11, 20) hanc ipsam acceptionem eucharistiae dominicam coenam vocans, illud magis movere potuit homines, utrum iam refecti die illo vel offerrent vel sumerent eucharistiam, quod in evangelio dicit: CUM AUTEM ILLI MANDUCARENT, ACCEPIT JESUS PANEM ET BENEDIXIT, cum etiam superius dixisset: CUM SERO AUTEM FACTUM ESSET, RECUMBEBAT CUM DUODECIM ET MANDUCANTIBUS EIS DIXIT: QUONIAM UNUS EX VOBIS TRADET ME (Matth. 26, 26; 20, 21); post enim tradidit sacramentum. Et liquido apparet, quando primo acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos.

6, 8. Numquid tamen propterea calumniandum est universae ecclesiae, quod a ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut coenati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent aut, sicut faciebant, quos Apostolus arguit et emendat, mensis suis ista miscere. Namque salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non praecepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, sacraret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variasset. Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens: PROPTER QUOD FRATRES, CUM CONVENITIS AD MANDUCANDUM, INVICEM EXSPECTATE; SI QUIS ESURIT, DOMI MANDUCET, UT NON AD IUDICIUM CONVENIATIS, statim subtexuit: CETERA AUTEM CUM VENERO, ORDINABO (1 Cor. 11, 20, 34). Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat ecclesia), ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur.

7, 9. Sed nonnullos probabilis quaedam ratio delectavit: uno certo die per annum, quo ipsam coenam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri, ut, qui etiam ieiunaverit, post refectionem, quae hora nona fit, ad oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus ante dominicam illam coenam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus. Hoc tamen non arbitror institutum, nisi quia plures et prope omnes in plerisque locis eo die lavare consueverunt, et, quia nonnulli etiam ieiunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia ieiunia

simul et lavacra tolerare non possunt, ad vesperam vero propter ieiunantes.

7, 10. Si autem quaeris, cur etiam lavandi mos ortus sit: nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem quadragesimae sordidata cum offensione sensus ad fontem venirent, nisi aliqua die lavarentur [1]. — Istum autem diem potius ad hoc electum, quo coena dominica anniversarie celebratur. Et quia concessum est hoc baptismum accepturis, multi cum his lavare voluerunt ieiuniumque relaxare. His, ut potui, disputatis moneo, ut ea quae praelocutus sum, serves, quantum potes, ut decet ecclesiae prudentem ac pacificum filium. Alia quae interrogasti, si dominus voluerit, alio tempore expediam.

EP. 98, N. 9 (CSEL XXXIV, 530—1; PL XXXIII, 363—4).

Ep. 98 ad Bonifacium episcopum Cataguensem ca. a. 408 directa loquitur de baptismo consecrationem et dominicum characterem praebente etiam parvulis, qui etsi fidem nondum habent in cogitatione, non ei tamen obicem contrariae cogitationis opponunt. Sacramentorum vim optime dilucidat.

Nempe saepe ita loquimur, ut pascha propinquante dicamus crastinam vel perendinam Domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die dominico dicimus: „Hodie Dominus resurrexit", cum, ex quo resurrexit, tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundum illorum, quibus haec gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipse dies, qui non est ipse sed revolutione temporis similis eius, et dicatur illo die fieri, propter sacramenti celebrationem, quod non illo die sed iam olim factum est? Nonne semel immolatus est Christus in seipso et tamen in sacramento [2] non solum per omnes paschae sollemnitates sed omni die populis immolatur [3] nec utique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari? Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent [4]. Ex hac autem similitudine plerumque

[1] De lavandis pedibus cfr. Ep. 55, 18, 33 et 34.

[2] Ep. 55, 1, 2: Hic primum oportet noveris diem natalis Domini non in sacramento celebrari, sed tantum in memoriam revocari, quod natus sit, ac per hoc nihil opus erat, nisi revolutum diem anni, quo ipsa res facta est, festa devotione signari. Sacramentum est autem in aliqua celebratione, cum rei gestae commemoratio ita fit, ut aliquid etiam significare intelligatur, quod sancte accipiendum est.

[3] In Joh. tr. 26, 15; De civ. Dei 10, 20; Ep. 36, 18: Sacrificium vero laudis ab ecclesia toto orbe diffusa diebus omnibus immolatur.

[4] Quid sit signum, docet De doctr. christ. 1, 2: Ex quo intelligitur quid appellem signa: res eas videlicet quae ad significandum aliquid adhibentur. Quam-

iam ipsarum rerum nomina accipiunt[1]. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est[2]. Nihil est autem aliud credere, quam fidem habere. Ac per hoc cum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum et convertere se ad deum propter conversionis sacramentum, quia et ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti, sicut de ipso baptismo apostolus: CONSEPULTI, inquit, SUMUS CHRISTO PER BAPTISMUM IN MORTEM (Rom. 6, 4); non ait: „Sepulturam significavimus", sed prorsus ait: Consepulti sumus. Sacramentum ergo tantae rei non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupavit.

EP. 149, N. 16, 17 (CSEL XLIV, 362—4; PL XXXIII, 636—7).

Ep. 149 ad Paulinum Nolensem episcopum ca. a. 414 directa interpretando 1 Tim. 2, 1 delineat ordinem in sacrificio eucharistico servatum.

obrem omne signum etiam res aliqua est; quod enim nulla res est, omnino nihil est: non autem omnis res etiam signum est; 2, 1: Signum est enim res praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire; 2, 3, 4: Sed haec omnia signa verbis comparata paucissima sunt. Verba enim prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi quaecumque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit. Nam . . . et sacramento corporis et sanguinis sui praegustata significavit (scl. Dominus) quod voluit. Ibid. 3, 6 dicit Judaeos servivisse sub signis utilibus, 3, 7 gentes sub inutilibus, 3, 8 aliter Judaeos liberatos esse a servitute signorum, aliter gentiles, 3, 9 vero concludit: Sub signo enim servit qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem nesciens quid significet: qui vero aut operatur aut veneratur utile signum divinitus institutum, cuius vim significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur et transit, sed illud potius quo talia cuncta referenda sunt. — Quid vero sit sacramentum, docet Ep. 138, 7: Signa, cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur; De catech. rud. 26, 50: De sacramento sane quod accipit (scl. catechumenus), cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet: dicendum etiam quid significet et sermo ille quem audivit, quid in illo condiat (scl. in sale), cuius illa res similitudinem gerit; In Joh. tr. 80, 3: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum.

[1] Quaest. in Lev. 3, 57, 3. Solet enim res, quae significat, eius rei nomine, quam significat, nuncupari; C. Faust. 19, 16: Quid enim sunt aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia et temporalia; De unit. eccl. 13, 34: Plerumque enim sermo divinus impias turbas ecclesiae, quae nec in ecclesia deputantur, tamen propter sacramenta, quae cum sanctis communiter habent, quia inest in eis quaedam forma pietatis, cuius virtutem negant, sicut ait Apostolus, Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegant (2. Tim. 3, 5), sic redarguit tanquam omnes tales sint, et nullus bonus omnino remanserit; In ep. Joh. tr. 2, 9: Bonum est nobis, ut non diligamus mundum, ne remaneant in nobis sacramenta ad damnationem, non firmamenta ad salutem. Firmamentum salutis est, habere radicem caritatis, habere virtutem pietatis, non formam solam. Bona forma, sancta forma, sed quid valet forma, si non teneat radicem? Habe formam, sed in radice.

[2] Tert., De bapt. 13: (sacramentum) vestimentum quodammodo fidei; C. lit. Petil. 2, 47, 110; De pecc. mer. et rem. 1, 26, 40: credere est infantibus baptizari.

16. Sed eligo in his verbis hoc [1] intelligere, quod omnis vel paene omnis frequentat ecclesia, ut precationes [2] accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in domini mensa, incipiat benedici [3], orationes, cum benedicitur et sanctificatur et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis ecclesia dominica oratione concludit [4]. Ad quem intellectum etiam verbi graeci origo nos adiuvat; nam eam quam dicunt *εὐχήν* raro ita scriptura ponit, ut intelligatur oratio; sed plerumque et multo usitatius votum appellatur *εὐχή*, *προσευχή* vero, quod verbum ita positum est, unde tractamus, semper orationem vocat. Unde hanc verbi originem, sicut superius dixi, nonnulli minus erudite intuentes *προσευχήν* non orationem sed adorationem dicere voluerunt, quae potius *προσκύνησις* dicitur; sed quia oratio interdum vocatur *εὐχή* adoratio putata est *προσευχή*. Porro si usitatius, ut dixi, in scripturis votum appellatur *εὐχή* excepto nomine generali orationis ea proprie intelligenda est oratio, quam facimus ad votum, id est *πρὸς εὐχήν*. Voventur autem omnia, quae offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio [5], quo sacramento praedicatur nostrum illud maximum votum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Christi. Cuius rei sacramentum est, quod UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS (1 Cor. 10, 17). Ideo in huius sanctificatione et distributionis praeparatione [6] existimo Apostolum iussisse proprie fieri *προσευχάς*, id est orationes vel, ut nonnulli minus perite interpretati sunt, adorationes, hoc est enim ad votum, quod usitatius in scripturis nuncupatur *εὐχή*. Interpellationes autem sive, ut vestri codices habent, postulationes fiunt, cum populus benedicitur [7]; tunc enim antistites velut advocati susceptos suos per

[1] 1. Tim. 2, 1: OBSECRO ITAQUE PRIMUM OMNIUM FIERI OBSECRATIONES, ORATIONES, INTERPELLATIONES, GRATIARUM ACTIONES.

[2] Ep. 149, 2, 13: Qui distinctius latine locuti sunt, precationibus utebantur in optandis bonis, deprecationibus vero in devitandis malis.

[3] S. 49, 8, 8: Ecce post sermonem fit missa catechumenis: manebunt fideles, venietur ad locum orationis. — Tres precationes clara voce dixit antistes (Ep. 55, 18, 34): pro infidelibus et inimicis ecclesiae, pro catechumenis, pro fidelibus ut perseverent in fide.

[4] Haec oratio a Cypr. nominatur praefatio (De dom. or. 31), ab Aug. preces sanctae (S. Den. VI, 3). Ordinem huius orationis vide in S. 227 et S. Guelf. VII.

[5] Cfr. Can. 23 syn. Hipp. a. 393.

[6] S. 227: sanctificationem sacrificii; sic iam Cypr., Ep. 63, 9; In Joh. tr. 26, 15: sacramentum . . . praeparatur.

[7] S. fragm. 3 c. Pel.: Benedictiones, fratres mei, benedictiones nostras, quas supra vos facimus, evacuant, exinaniunt, elidunt . . . Ergo nos . . . sine causa benedicamus et vos sine causa Amen subscribatis; Ep. 179, 4: His itaque disputationibus perversis et impiis . . . etiam benedictionibus nostris resistitur, quando super populum dicimus optantes eis et poscentes a Domino, ut eos abundare faciat in caritate invicem et in omnes et det eis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per spiritum eius et impleat eos omni gaudio et pace in credendo, et abundent in spe et potentia Spiritus sancti.

manus impositionem misericordissimae afferunt potestati. Quibus peractis, et participato tanto sacramento, gratiarum actio [1] cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus.

17. Haec autem causa praecipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis atque significatis non putaretur negligendum esse, quod sequitur: PRO OMNIBUS HOMINIBUS, PRO REGIBUS ET HIS QUI IN SUBLIMITATE SUNT, UT QUIETAM ET TRANQUILLAM VITAM AGAMUS IN OMNI PIETATE ET CARITATE (I. Tim. 2, 1—2), ne quisquam, sicut se habet humanae cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda pro his, a quibus persecutionem patiebatur ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda [2]. Unde adiungit et dicit. HOC ENIM BONUM EST ET ACCEPTUM CORAM SALVATORE DEO NOSTRO, QUI OMNES VULT SALVOS FIERI, ET IN AGNITIONEM VERITATIS VENIRE (I. Tim. 2, 3—5). Et ne quisquam diceret posse esse salutis viam in bona conversatione et unius Dei omnipotentis cultum sine participatione corporis et sanguinis Christi [3], UNUS ENIM DEUS, inquit, ET UNUS MEDIATOR DEI ET HOMINUM HOMO CHRISTUS JESUS, ut illud quod dixerat, „OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI", nullo alio modo intelligatur praestari nisi per mediatorem non Deum, quod semper erat Verbum, sed hominem [4] Christum Jesum, cum VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS (Joh. 1, 14).

---

[1] Alias Aug. pedisequus Clem., Ign., Justini, Iren., Tert., Orig., sacrificium ipsum gratiarum actionem nominat, e. gr. Ep. 140, 19, 48: Haec est gratia, quia gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio novi testamenti, quod ubi et quando et quomodo offerratur, cum fueris baptizatus, invenies; Ep. 187, 6, 21; C. adv. leg. et proph. 1, 18, 37.

[2] C. Maxim. 2, 1: Cum scias nobis esse praeceptum orare pro regibus, ut in agnitionem veniant veritatis.

[3] In Joh. tr. 26, 13; tr. 27, 6: Nec viva membra spiritus facit, nisi quae in corpore quod regebat ipse spiritus, invenerit; De pecc. mer. et rem. 1, 20, 27; 1, 24, 34; Op. imp. c. Jul. 2, 30: Cur ministratur sanguis, qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum, quam bibat parvulus, ut habere possit vitam, si de nullius peccati origine venit in mortem?; Ep. 217, 5: Unde et ipsi (scl. parvuli), sicut dixi, si in illa parva aetate moriuntur, utique secundum ea, quae per corpus gesserunt, id est tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda et ora gestantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando et sanguinem biberunt, vel non biberunt, secundum haec ergo quae per corpus gesserunt, non secundum ea quae, si diu hic viverent, gesturi fuerant, iudicantur; Ep. 186, 30: Nullus qui se meminit catholicae fidei christianum, negat aut dubitat parvulos non accepta gratia regenerationis in Christo, sine cibo carnis eius et sanguinis potu, non habere in se vitam ac per hoc poenae sempiternae obnoxios.

[4] En. 1 et en. 2 in ps. 33; In Joh. tr. 26, 13 et tr. 27, 5.

EP. 185, C. 11, N. 50 (CSEL LVII, 43—4; PL XXXIII, 815).

Ep. 185, c. a. 417 ad Bonifacium tribunum ac demum comitem in Africa directa in Retr. 2, 48 inscribitur: Liber de correctione Donatistarum. Loquitur v. finem de peccato in Spiritum sanctum non remittendo.

Isti autem cum quibus agimus vel de quibus agimus, non sunt desperandi; adhuc enim sunt in corpore. — Sed non quaerant Spiritum sanctum nisi in Christi corpore, cuius habent foris [1] sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cuius est illud sacramentum, et ideo sibi iudicium manducant et bibunt (I. Cor. 11 29). Unus enim panis sacramentum est unitatis quoniam sicut Apostolus dicit, UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS (I. Cor. 10, 17). Proinde ecclesia catholica sola corpus est Christi, cuius ille caput est salvator corporis sui (Eph. 5, 23). Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus sanctus, quia sicut ipse dicit apostolus, CARITAS DEI DIFFUSA EST IN CORDIBUS NOSTRIS PER SPIRITUM SANCTUM, QUI DATUS EST NOBIS (Rom. 5, 5). Non est autem particeps divinae caritatis, qui hostis est unitatis [2]. Non habent itaque Spiritum sanctum, qui sunt extra ecclesiam; de illis quippe scriptum est: QUI SEIPSOS SEGREGANT, ANIMALES, SPIRITUM NON HABENTES (Judae 19). Sed nec ille eum percipit, qui fictus [3] est in ecclesia, quoniam et inde scriptum est: SANCTUS ENIM SPIRITUS DISCIPLINAE EFFUGIET FICTUM (Sap. 1, 5). Qui ergo vult habere Spiritum sanctum, caveat foris ab ecclesia remanere, caveat in eam simulatus intrare aut, si iam talis intravit, caveat in eadem simulatione persistere, ut veraciter coalescat arbori vitae.

DE TRINITATE L. III, C. 4, N. 10 (PL XLII, 873—4; ED. HURTER, 142—4).

Libros 15 de Trinitate S. Aug. juvenis inchoavit, senex edidit (398—416). Lib. III huius operis loquitur de variis trini Dei apparitionibus sub

[1] De civ. Dei 21, 25, 4.

[2] De bapt. c. Donat. 3, 16, 21: Non autem habent dei caritatem qui ecclesiae non diligunt unitatem.

[3] S. 174, 7, 8: Sic habete in corde, sic credite, cum ista fide parvulos ad gratiam Christi (scl. baptismum et communionem) portate, ne si hanc fidem in corde non habueritis, pro quibus respondetis, linqua vestra occidatis. Prorsus fratres, qui non cum ista fide cum parvulo cucurrerit, fingit; S. 71, 11, 17; Cfr. Quaest. in Hept. 3, 84: Proinde colligitur (scl. ex sanctificatione latronis) invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse atque profuisse sine visibilibus sacramentis, quae pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, et alia modo sint: visibilem vero sanctificationem, quae fieret per visibilia sacramenta, sine ista invisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramentum visibile contemnendum est: nam contemptor eius invisibiliter sanctificari nullo modo potest.

speciebus visibilibus ipsa essentia numquam per se visa. Inter creaturas varias ad significationem assumptas obviat panis eucharisticus.

Si ergo apostolus Paulus, quamvis adhuc portaret sarcinam corporis, quod corrumpitur et aggravat animam (Sap. 9, 15), quamvis adhuc ex parte atque in aenigmate videret (1. Cor. 13, 12), optans dissolvi et esse cum Christo (Phil. 1, 23), et in semetipso ingemiscens, adoptionem exspectans redemptionem corporis sui (Rom. 8, 23), poterit tamen significando praedicare Dominum Jesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis et sanguinis eius (nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis, corpus Christi et sanguinem dicimus; sed illud tantum, quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis dominicae passionis: quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei, cum haec omnia, quae per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, movens primitus invisibilia ministrorum, sive animas hominum, sive occultorum spirituum sibi subditas servitutes): quid mirum si etiam in creatura coeli et terrae, maris et aëris, facit Deus quae vult sensibilia atque visibilia, ad se ipsum in eis, sicut oportere ipse novit, significandum et demonstrandum, non ipsa sua qua est apparente substantia, quae omnino incommutabilis est, omnibusque spiritibus, quos creavit, interius secretiusque sublimior?

DE TRINITATE L. III, C. 10, N. 21 (PL XLII, 881; ED. HURTER, 160—1.)

Illas etiam nubes et ignes quomodo fecerint vel assumpserint angeli ad significandum quod annuntiabant, etiam si Dominus vel Spiritus sanctus illis corporalibus formis ostendebatur, quis novit hominum? sicut infantes non noverunt quod in altari ponitur et peracta pietatis celebratione consumitur [1], unde vel quomodo conficiatur [2], unde in usum religionis assumatur. Et si numquam discant experimento vel suo vel aliorum, et nunquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationes sacramentorum cum offertur et datur, dicaturque illis auctoritate gravissima, cuius corpus et sanguis sit, nihil aliud credant, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse morta-

[1] De Trin. 3, 10, 19: aliquando ad hoc fit eadem species, vel aliquantulum mansura ... vel peracto ministerio transitura, sicut panis ad hoc factus in accipiendo sacramento consumitur.

[2] S. 71, 11, 17; En. in ps. 10, 6.

lium, et de latere tali percusso [1], liquorem illum omnino fluxisse (Joh. 19, 34).

DE TRINITATE L. IV, C. 14, N. 19 (PL XLII, 901; ED. HURTER, 212—4).

Liber IV. de Christo mediatore vitae disserens dilucidissime exponit, quaenam consideranda sint in omni sacrificio.

Non intelligunt ne ipsos quidem superbissimos spiritus honoribus sacrificiorum gaudere potuisse, nisi uni vero Deo pro quo coli volunt, verum sacrificium deberetur: neque id posse rite offeri, nisi per sacerdotem sanctum et iustum: nec nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur, atque id sine vitio sit, ut pro vitiosis mundandis possit offeri. Hoc certe omnes cupiunt, qui pro se offeri sacrificium Deo volunt. Quis ergo tam iustus et sanctus sacerdos, quam unicus Filius Dei, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quae adduntur (Hebr. 7)? Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiae caro, nata in utero et ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi posset, quam caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri [2]? Ut quoniam quattuor considerantur in omni sacrificio: cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse unus verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, et quod offerebat.

CONTRA EPIST. PARMENIANI L. II, C. 5, N. 10 (CSEL LI, 55—6; PL XLIII, 56—7).

Contra Epistolam Parmeniani, Donatistarum apud Carthaginem episcopi successorisque Donati, scriptam ad Tichonium quendam Donatistam, Aug. tres libros anno prope 400 edidit. Libri secundi cap. 5 et 6 loquuntur de schismaticorum sacrificio.

---

[1] Cfr. De Sacr. 5, 1, 4.

[2] S. 374, 3: Ipse sacerdos, ipse sacrificium; De civ. Dei 10, 20: Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio; En. in ps. 149, 6: Offerat ergo seipsum mundus sacerdos, et mundet. Hoc est quod fecit Christus. Nihil mundum invenit in hominibus, quod offerret pro hominibus; seipsum obtulit mundam victimam. Felix victima, vera victima, hostia immaculata; C. Faust. 20, 18; Cfr. etiam S. Den. III, 1: Sacrificium iam nostri temporis corpus et sanguis est ipsius sacerdotis.

Quid igitur iam valet ad causam quod isti nobis obiciunt, quia per Esaiam dicit dominus de malis sacrificatoribus: FACINEROSUS QUI SACRIFICAT MIHI VITULUM QUASI QUI CANEM OCCIDAT, ET QUI PONIT SIMILAGINEM QUASI SANGUINEM PORCINUM, ET QUI OFFERT THUS IN MEMORIA QUASI BLASPHEMUS (Is. 66, 3)? Haec omnia multo congruentius de illis dicuntur, qui contra ecclesiam Dei toto, sicut promissa est, orbe diffusam altare sui schismatis erexerunt; quod eos sacrilegium omnes involvit, et quilibet ubilibet offert sacrificium tali corde vel factis, ut haec audire mereatur, perniciem sibi infert, non illis bonis qui secundum prophetam Ezechielem gemunt et maerent peccata et iniquitates quae fiunt in medio eorum (Ez. 9, 4), quamvis non se inde corporaliter separent; Unicuique enim tribuit dominus secundum cor suum. Nam si primis temporibus non obfuerunt mali sacerdotes vel collegis bonis, sicut fuit Zacharias (Luc. 1, 5); vel popularibus bonis, sicut fuit Nathanael in quo dolus non erat (Joh. 1, 47): quanto magis nihil obest in unitate christiana episcopus malus vel coepiscopis bonis vel laicis bonis, cum iam ille sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec et pontifex noster sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis (Hbr. 7, 17, 25), QUI TRADITUS EST PROPTER DELICTA NOSTRA ET RESURREXIT PROPTER IUSTIFICATIONEM NOSTRAM (Rom. 4, 25)? Nec illud bonis obest, sed offerentibus malis, quod verissime dictum est: DONA INIQUORUM NON PROBAT ALTISSIMUS (Eccli. 34, 23). Non enim dixit, 'Dona eorum qui pro pace iniquos tolerant, non probat altissimus'. Cum tamen nec isti ea quae obiecerunt probare potuerint eo tempore quo schisma fecerunt: alioquin illis exclusis istos hereditas Christi toto orbe diffusa in communione catholica detineret.

C. EPISTOL. PARMENIANI L. II, C. 6, N. 11 (CSEL LI, 56—7; PL XLIII, 57).

Sacrificia, inquit, impiorum execratio est domino; etenim inique offerunt illa (Prov. 21, 27). Jam supra responsum est quia non est iniquus Christus, qui pro nobis se ipsum obtulit, et noster in coelo mediator est, quo suam ecclesiam gubernante bonis mali non oberunt, qui vel ignorantur vel pro pace tolerantur, donec ipse veniat ac separet praemissis messoribus a messe zizania et ventilabro paleas a frumentis. Quamquam isti, quod saepe dicendum est, falsa crimina obiecerint, quae etiam si vera essent bonorum caritati pro unitate in unitate omnia toleranti nihil nocerent, si ea forte etiam cognita iudicibus ecclesiasticis persuaderi non possent. Sacrificia ergo impiorum eis ipsis oberunt qui offerunt impie. Nam unum atque idem sacrificium propter nomen dei, quod ibi invocatur et semper est sanctum, tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. QUI ENIM MANDUCAT

ET BIBIT INDIGNE IUDICIUM SIBI MANDUCAT ET BIBIT (1 Cor. 18, 29). Non ait: 'Aliis', sed 'SIBI'. Qui ergo digne manducat et bibit, gratiam sibi manducat et bibit. Illi ergo videant utrum digne manducent, qui inter tam multos parentes et filios, maritos et uxores, inter tam multos, quod est potissimum, Dei heredes et Christi coheredes toto orbe diffusos nefario schismate diviserunt, cum possent utique, si boni essent et vere malos arguerent, fructuose tolerare pro pace Christi quae perniciose tolerant pro parte Donati.

C. ADVERSARIUM LEGIS ET PROPHETARUM L. I, C. 18, N. 37 (PL XLII, 623—5).

Contra adversarium legis et prophetarum libri duo, quorum alter veteris testamenti loca calumniose reprehensa vindicat, alter novi testamenti loca, quae adversarius velut eis contraria collegit, discutit, scripti sunt c. initium a. 420.

SED DAVID, inquit, DEUM ROGAVIT, ET NON EST EXAUDITUS, NISI OBLATO SACRIFICIO, UT HOMINIBUS QUI NON PECCAVERANT, PARCERETUR (2. Reg. 24) ET IDEO NON EST CREDENDUS DEUS VERUS, QUI SACRIFICIIS DELECTATUR. De sacrificio autem valde iste nihil sapit: et ideo fallitur, quia iam sacrificia talia non offert Dei populus Deo, posteaquam venit unicum sacrificium, cuius umbrae fuerunt illa omnia, non hoc improbantia, sed hoc significantia.... Sacrificiis autem Deum non egere, quis nescit? Sed nec laudibus nostris eget. Verum sicut nobis, non illi, utile est laudare Deum, sic nobis, non illi, utile est offerre sacrificium Deo. Quoniam singulari et solo vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est. Quod est autem sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? Et unde maiores agendae sunt Deo gratiae, quam pro ipsius gratia per Jesum Christum Dominum nostrum? Quod totum fideles in ecclesiae sacrificio sciunt, cuius umbrae fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum... Unde illud quod David obtulit, ut populo parceretur, umbra erat futuri, qua significatum est, quod per unum sacrificium, cuius illa figura erat, saluti populi spiritualiter parcitur. Ipse est enim Christus Jesus, QUI TRADITUS EST, sicut Apostolus dicit, PROPTER DELICTA NOSTRA, ET RESURREXIT PROPTER IUSTIFICATIONEM NOSTRAM (Rom. 4, 25): propter quod etiam dicit, PASCHA NOSTRUM, IMMOLATUS EST CHRISTUS (1. Cor. 5, 7). Qui carnaliter est Israel: NON EST MIHI VOLUNTAS IN VOBIS, DICIT DOMINUS OMNIPOTENS, ET HOSTIAM NON ACCIPIAM DE MANIBUS VESTRIS. Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit et dicit: QUIA AB ORTU SOLIS USQUE AD OCCASUM GLORIFICATUM EST NOMEN MEUM IN GENTIBUS, ET IN OMNI LOCO INCENSUM OFFERTUR NOMINI MEO, ET HOSTIA PURA: QUIA

MAGNUM EST NOMEN MEUM IN GENTIBUS, DICIT DOMINUS OMNIPOTENS (Mal. 1, 10, 11). Ecce quod est secundum ordinem Melchisedec.

C. ADVERSARIUM LEGIS ET PROPHETARUM L. I, C. 20, N. 39 (PL XLII, 626—7).

Sane de apocryphis iste posuit testimonia, quae sub nominibus Andreae Johannisque conscripta sunt. Quae si illorum essent, recepta essent ab ecclesia, quae ab illorum temporibus per episcoporum successiones certissimas, usque ad nostra et deinceps tempora perseverat, et immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo DEUS DEORUM LOCUTUS VOCAVIT TERRAM, A SOLIS ORTU USQUE AD OCCASUM (Ps. 49, 1) Haec quippe ecclesia est Israel secundum spiritum; a quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui serviebat in umbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc offert Israel secundum spiritum, cui dictum atque praedictum est, AUDI, POPULUS MEUS, ET LOQUAR TIBI, ISRAEL ET TESTIFICABOR TIBI (Ps. 49, 2, 7): et caetera, quae jam supra commemoravi (c. 18, 37). De huius enim domo non accepit vitulos, neque de gregibus eius hircos. Iste immolat Deo sacrificium laudis, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedec. Quod in eo psalmo positum est, quem Dominus Jesus in Evangelio de se conscriptum esse testatur, quaerens a Judaeis respondentibus Christum filium esse David, quod solum de illo carnaliter noverant, quomodo eum David in Spiritu dixerit dominum. Tunc enim huius psalmi commemoravit exodium: DIXIT DOMINUS DOMINO MEO, SEDE A DEXTRIS MEIS, DONEC PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM. Ibi quippe et hoc dictum est: IURAVIT DOMINUS, ET NON POENITEBIT EUM, TU ES SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDEC (Mth. 22, 42—45; Ps. 109, 1, 4). Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedec, quando benedixit Abraham (Gen. 14, 18, 19): et si iam sunt participes ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio incredulorum est increpatio. Et quod Deum non poenitebit, significatio est quia hoc sacerdotium non mutabit. Mutavit quidem sacerdotium secundum ordinem Aaron. Unde alius propheta dicit ad eum qui carnaliter est Israel: NON EST MIHI VOLUNTAS IN VOBIS, DICIT DOMINUS OMNIPOTENS, ET HOSTIAM NON ACCIPIAM DE MANIBUS VESTRIS. Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit, et dicit: QUIA AB ORTU SOLIS USQUE AD OCCASUM GLORIFICATUM EST NOMEN MEUM IN GENTIBUS, ET IN OMNI LOCO INCENSUM OFFERTUR NOMINI MEO, ET HOSTIA PURA; QUIA MAGNUM EST NOMEN MEUM IN GENTIBUS, DICIT DOMINUS OMNIPOTENS (Malach. 1, 10, 11). Ecce quod est secundum ordinem Melchisedec.

CONTRA FAUSTUM MANICHAEUM L. 20, C. 13 (CSEL XXV, 552; PL XLII, 379).

Libri 33 contra Faustum Manichaeum c. a. 400 scripti sub Fausti nomine verba eius ponunt et sub Augustini nomine responsiones ad ea. Faustum vehementer contradicentem, cum Aug. Manichaeos non sectam Christianam, sed paganos et gentium schisma nuncupasset, episcopus iterum refutat in l. 20.

Cur autem arbitretur Faustus pacem nobis esse religionem circa panem et calicem, nescio [1], cum Manichaeis vinum gustare non religio, sed sacrilegium sit. In uva enim agnoscunt deum suum, in cupa nolunt, quasi aliquid eos calcatus et inclusus offenderit. Noster autem panis et calix, non quilibet — quasi propter Christum in spicis et in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt —, sed certa consecratione [2] mysticus fit [3] nobis, non nascitur. . . .

CONTRA FAUSTUM MANICHAEUM L. 20, C. 18 (CSEL XXV, 558—9; PL XLII, 382—3).

Et tamen volo mihi dicatis, unde ista omnia, quae laudatis in vobis, his nominibus appelletis, ut dicatis templum, aram, sacrificium. Si enim vero Deo ista vera non debentur, cur laudabiliter in vera religione praedicantur? Si autem Deo vero verum sacrificium rite debetur, unde etiam divini honores recte appellantur, cetera quae dicuntur sacrificia ad similitudinem fiunt cuiusdam veri sacrificii. Haec autem partim sunt imitamenta falsorum et fallacium deorum, hoc est daemoniorum, superbe sibi ab eis, quos deceperint, divinos honores exigentium — sicut sunt vel erant omnia in templis idolisque gentilium — partim praedicamenta [4] venturi unius verissimi sacrificii,

---

[1] C. Faust. 2, 5: Unde et ista sacrilega deliramenta vos cogunt, non solum in coelo atque in omnibus stellis, sed etiam in terra atque in omnibus, quae nascuntur in ea, confixum et conligatum atque concretum Christus dicere, non iam salvatorem vestrum, sed a vobis salvandum cum ea manducatis atque ructatis. Nam et ista impia vanitate seducti, seducitis auditores vestros, ut vobis cibos adferant, quo possit ligato in eis Christo subveniri per vestros dentes et ventres.

[2] S. 234, 2: Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi.

[3] In Joh. tr. 80, 3: Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum; S. Guelf. VII: Accedit sanctificatio, et panis ille erit corpus Christi, et vinum illud erit sanguis Christi; cfr. De bapt. c. Don. 6, 29: Huic respondemus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum in sacramento duntaxat habere omnes qui baptismo verbis evangelicis consecrato baptizantur.

[4] De civ. Dei 10, 20; 19, 23, 5: Huius (scl. Dei) praeclarissimum atque optimum sacrificium nos ipsi sumus, hoc est civitas eius, corpus rei mysterium celebramus oblationibus nostris, quae fidelibus notae sunt. . . . Cessaturas enim victimas, quas in umbra futuri offerebant Judaei, et unum sacrificium gentes a solis ortu usque

quod pro peccatis omnium credentium offerri oporteret, qualia erant praecepta divinitus antiquis patribus nostris, ubi erat et illa mystica unctio, qua Christus praefigurabatur, unde et ipsum nomen a chrismate ducitur. Proinde verum sacrificium, quod uni vero debetur Deo, quo eius altare solus Christus inplevit, in victimis pecorum imitata daemonia sibi adroganter exposcunt. Unde dicit Apostolus, QUAE IMMOLANT GENTES, DAEMONIIS IMMOLANT ET NON DEO (1. Cor. 10, 20): non quod offerebatur culpans, sed quia illis offerebatur. Hebraei autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis et variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futurae victimae, quam Christus obtulit. Unde iam christiani peracti eiusdem sacrificii memoriam [1] celebrant sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi. Manichaei vero nescientes, quid damnandum sit in sacrificiis gentium et quid intelligendum in sacrificiis Hebraeorum et quid tenendum vel observandum in sacrificio christianorum, vanitatem suam sacrum offerunt diabolo, qui eos decepit recedentes a fide, intendentes spiritibus seductoribus et doctrinis daemoniorum in hypocrisi mendaciloquorum.

DE CIVITATE DEI L. 10, CAP. 6 (PL XLI, 283—4; CSEL XL, 1, 454—6; ED. TEUBNER, I, 410—2).

Libri 22 ad Marcellinum De Civitate Dei contra paganos, scripti sunt inter a. 413 et 426; l. 10 docet divinum honorem, qui latriae cultus dicitur et sacrificiis agitur non esse exhibendum nisi uni Deo. Caput 6 explicat quomodo redempta luculenter civitas in eo universali sacrificio, quod ipsa offert, Deo offeratur per sacerdotem magnum, qui seipsum in passione sua obtulit pro ea.

Proinde verum sacrificium est omne opus, quod agitur ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Unde et ipsa misericordia, qua homini subvenitur, si non propter Deum fit, non est sacrificium. Etsi enim ab homine fit vel offertur, tamen sacrificium res divina est, ita ut hoc

ad occasum, sicut iam fieri cernimus, oblaturas per prophetas Hebraeos oracula increpuere divina; C. Faust. 20, 21: Huius sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriae celebratur.

[1] De div. quaest. 61, 2: Oportebat enim, ut evacuaturus sacrificia, quae secundum ordinem Aaron in levitico sacerdotio fiebant, non esset de tribu Levi, ne ad ipsam tribum, et ad ipsum sacerdotium quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur, implevit: et holocausti eius imaginem ad memoriam passionis suae in ecclesia celebrandam dedit, ut esset sacerdos in aeternum, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedec. Cuius rei sacramentum diligentius adhuc considerari potest.

quoque vocabulo id Latini veteres appellaverint. Unde ipse homo Dei nomine consecratus et Deo votus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est. Nam et hoc ad misericordiam pertinet quam quisque in se ipsum facit. Propterea scriptum est: MISERERE ANIMAE TUAE PLACENS DEO (Eccli. 30, 24). Corpus etiam nostrum cum temperantia castigamus, si hoc, quem ad modum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiae Deo (Rom. 6, 13), sacrificium est. Ad quod exhortans Apostolus ait: OBSECRO ITAQUE VOS, FRATRES, PER MISERATIONEM DEI, UT EXHIBEATIS CORPORA VESTRA HOSTIAM VIVAM, SANCTAM, DEO PLACENTEM, RATIONABILE OBSEQUIUM VESTRUM; Si ergo corpus, quo inferiore tamquam famulo, vel tamquam instrumento utitur anima, cum eius bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est: quanto magis anima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amoris eius accensa formam concupiscentiae saecularis amittat, eique tamquam incommutabili formae subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium! Quod idem apostolus consequenter adiungens: ET NOLITE, inquit, CONFORMARI HUIC SAECULO; SED REFORMAMINI IN NOVITATE MENTIS VESTRAE AD PROBANDUM VOS QUAE SIT VOLUNTAS DEI, QUOD BONUM ET BENE PLACITUM ET PERFECTUM (Rom. 12, 1, 2). Cum igitur vera sacrificia opera sint misericordiae sive in nos ipsos sive in proximos, quae referuntur ad Deum, opera vero misericordiae non ob aliud fiant, nisi ut a miseria liberemur ac per hoc ut beati simus, quod non fit nisi bono illo, de quo dictum est: MIHI AUTEM ADHAERERE DEO BONUM EST (Psal. 72, 28): profecto efficitur, ut tota ipsa redemta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per sacerdotem magnum, qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est; quia secundum hanc mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est [1]. Cum itaque nos hortatus esset Apostolus, ut exhibeamus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem rationabile obsequium nostrum, et non conformemur huic saeculo, sed reformemur in novitate mentis nostrae: ad probandum quae sit voluntas Dei, quod bonum et bene placitum et perfectum, quod totum sacrificium nos ipsi sumus: DICO ENIM, inquit, PER GRATIAM DEI, QUAE DATA EST MIHI, OMNIBUS, QUI SUNT IN VOBIS, NON PLUS SAPERE, QUAM OPORTET SAPERE, SED SAPERE AD TEMPERANTIAM; SICUT UNICUIQUE DEUS PARTITUS EST MENSURAM FIDEI. SICUT ENIM IN UNO CORPORE MULTA MEMBRA HABEMUS,

[1] S. 374, 3: Verum sacrificium uni vero Deo debetur. Huius figurae ante gratiam victimis adumbratae sunt. Quod uno modo futurum fuerit, multis modis providentia divina praenuntiavit, ut, quam magnum esset, ostenderet. Ipse medicus, ipse medicamentum: medicus, quia verbum, medicamentum, quia verbum caro factum est. Ipse sacerdos, ipse sacrificium.

OMNIA AUTEM MEMBRA NON EOSDEM ACTUS HABENT: ITA MULTI UNUM CORPUS SUMUS IN CHRISTO; SINGULI AUTEM, ALTER ALTERIUS MEMBRA, HABENTES DONA DIVERSA SECUNDUM GRATIAM, QUAE DATA EST NOBIS (Rom. 12, 1—6). Hoc est sacrificium Christianorum: MULTI UNUM CORPUS IN CHRISTO. Quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea re, quam offert, ipsa offeratur [1].

L. 10, C. 20 (PL XLI, 298; CSEL XL, 1, 480—1; TEUBNER I, 433).

Unde verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei et hominum, homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturae. Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit ecclesiae sacrificium, quae cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre. Huius veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur [2]. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.

L. 16, C. 22 (PL XLI, 499—500; CSEL XL, 2, 163—4; TEUBNER II, 158—9).

In L. 16 exhibente procursus civitatis coelestis ab Abraham usque ad reges Israel c. 22 narrat de Melchisedec sacrificante et benedicente.

Hoc responso promissionis accepto migravit Abraham et mansit in alio eiusdem terrae loco iuxta quercum Mambre, quae erat Chebron (Gen. 13, 18). Deinde ab hostibus, qui Sodomis irruerant, cum quinque

[1] De civ. Dei 10, 20.

[2] C. adv. leg. et proph. 1, 18, 37; 19, 38; 20, 39; Aug. identidem sacrificia veteris testamenti tamquam signa, figuras, imagines, umbras contraponit sacrificio novi testamenti tamquam veritati. Sequitur in hoc Cyprianum (Ep. 63, 3 et 4 et 7), concinnat cum Ambrosio (De myst. 8, 49; 9, 59) et auctore l. De Sacr. 4, 5, 26; 5, 1, 1). Noli confundere cum hoc verborum usu, quod alias sacramentum novi testamenti tamquam *ὁμοίωμα* (Anaph. Ser. 3, 12 et 13), *τύπος* (Cyr., C. myst. 4, 3), *ἀντίτυπον* (Cyr., C. myst. 5, 20; Const. Ap. 8, 25, 4), figura (Tert., Adv. Marc. 4, 40) veritatem corporis Christi uti dicimus historici et in aeternum manentis exprimit (Cypr. Ep. 63, 11) seu ostendit (ibid., c. 12). Qui usus iterum correspondet rationi, qua sacramentum (De Myst. 9, 53), similitudo (De sacr. 4, 4, 20), figura (De sacr. 4, 5, 21) contraponitur naturae (De Sacr. 6, 1, 3) seu veritati (De Sacr. 6, 1, 2) corporis et sanguinis Domini.

reges adversus quattuor bellum gererent et victis Sodomitis etiam Loth captus esset, liberavit eum Abraham adductis secum in proelium trecentis decem et octo vernaculis suis et victoriam fecit regibus Sodomorum nihilque spoliorum auferre voluit, cum rex cui vicerat obtulisset. Sed plane tunc benedictus est a Melchisedec, qui erat sacerdos Dei excelsi (Gen. 14, 1—20): de quo in epistola, quae inscribitur ad Hebraeos, quam plures Pauli apostoli esse dicunt, quidam vero negant, multa et magna conscripta sunt (Hebr. 7). Ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum [1], impleturque illud quod longe post hoc factum per prophetiam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: TU ES SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDEC (Ps. 109, 4); non scilicet secundum ordinem Aaron [2]: qui ordo fuerat auferendus inlucescentibus rebus, quae illis umbris praenotabantur.

[1] Hunc principalem sacrificii Novi Testamenti typum ostendens Aug. sequitur illud Cypriani (Ep. 63, 4): Item in sacerdote Melchisedec sacrificii dominici sacramentum praefiguratum videmus secundum quod scriptura divina testatur et dicit: ET MELCHISEDEC REX SALEM PROTULIT PANEM ET VINUM (Gen. 14, 18). Fuit autem sacerdos Dei summi et benedixit Abraham. Quod autem Melchisedec typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: ANTE LUCIFERUM GENUI TE, TU ES SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDEC (Ps. 109, 3, 4). Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens et inde descendens, quod Melchisedec sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam qui magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo obtulit et obtulit hoc idem, quod Melchisedec obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem. — Similiter iam Iren., Adv. haer. 4, 17, 5; Clem. Alex., Strom. 4, 25, 163. Cfr. etiam De div. quaest. 61, 2: Illud quod Melchisedec obtulit Deo, iam per totum orbem terrarum in Christi ecclesia videmus offerri; En. 2 in ps. 33: Ipse (scl. Christus) de corpore et sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedec; C. adv. leg. et proph. 1, 20, 39; Connectit Aug. hunc typum cum prophetia Malachiae e. gr. De civ. Dei 18, 35; Malachias prophetans ecclesiam, quam per Christum cernimus propagatam, Judaeis apertissime dixit ex persona Dei: NON EST . . . (Mal. 1, 10). Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedec, cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo iam videamus offerri, sacrificium autem Judaeorum, quibus dictum est: NON EST MIHI VOLUNTAS . . . cessasse negare non possunt; De civ. Dei 19, 23, 5: Huius (scl. Dei) autem praeclarissimum atque optimum sacrificium nos ipsi sumus, hoc est civitas eius, cuius rei mysterium celebramus oblationibus nostris, quae fidelibus notae sunt. . . . Cessaturas enim victimas, quas in umbra futuri offerebant Judaei, et unum sacrificium gentes a solis ortu usque ad occasum, sicut iam fieri cernimus oblaturas, per prophetas Hebraeos oracula increpuere divina. — Attamen Aug. Melchisedec typum solummodo Christi gessisse, non eandem cum eo fuisse personam docet, sicut etiam Ambr., De myst. 8, 44 et De Sacr. 4, 3, 11 et 12; 5, 1, 1 et 2.

[2] En. 1 in ps. 33; De civ. Dei 16, 22; 18, 35, 3; En. 2 in ps. 33: Ipse de corpore et sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedec.

L. 21, C. 25, 2 (PL XLI, 741—3; CSEL XL, 2, 565—7; TEUBNER II, 537—9).

L. 21 de aeterna damnatione agit. C. 25 docet liberationem ab aeterno igne minime promittendam esse eis, qui quoquomodo acceperint sacramenta, sicut haeretici baptizati, sed male viventes, vel desertores fidei vel a catholica unione non recedentes, sed turpiter vivere persistentes.

Quam ob rem quod ait Dominus Jesus: HIC EST PANIS, QUI DE COELO DESCENDIT, UT SI QUIS EX IPSO MANDUCAVERIT, NON MORIATUR. EGO SUM PANIS VIVUS, QUI DE COELO DESCENDI; SI QUIS MANDUCAVERIT EX HOC PANE, VIVET IN AETERNUM (Joh. 6, 50—52), quo modo sit accipiendum, merito quaeritur. Et ab istis quidem, quibus nunc respondemus, hunc intellectum auferunt illi, quibus deinde respondendum est; hi sunt autem, qui hanc liberationem nec omnibus habentibus sacramentum baptismatis et corporis Christi, sed solis Catholicis, quamvis male viventibus, pollicentur, quia non solo, inquiunt, sacramento, sed re ipsa manducaverunt corpus Christi, in ipso scilicet eius corpore constituti; de quo corpore ait Apostolus: UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS (1. Cor. 10, 17). Qui ergo est in eius corporis unitate, id est in Christianorum compage membrorum, cuius corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueverunt, ipse vere dicendus est manducare corpus Christi et bibere sanguinem Christi. Ac per hoc haeretici et schismatici ab huius unitate corporis separati possunt idem percipere sacramentum, sed non sibi utile, immo vero etiam noxium, quo iudicentur gravius, quam vel tardius liberentur. Non sunt quippe in eo vinculo pacis, quod illo exprimitur sacramento ...

4. Unde nec illi in perditis et damnabilibus moribus debent esse securi, qui usque in finem quidem velut in communione ecclesiae catholicae perserverant, intuentes quod dictum est, QUI PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, HIC SALVUS ERIT (Mth. 10, 22), et per vitae iniquitatem ipsam vitae iustitiam, quod eis Christus est, deserunt, sive fornicando, sive alias immunditias flagitiorum, quas nec exprimere Apostolus voluit, in suo corpore perpetrando, sive turpitudine luxuriae diffluendo sive aliquid aliud eorum agendo, de quibus ait: QUONIAM QUI TALIA AGUNT, REGNUM DEI NON POSSIDEBUNT (Gal. 5, 21); ac per hoc, quicumque agunt talia, nisi in sempiterno supplicio non erunt, quia in Dei regno esse non poterunt. In his enim perseverando usque in huius vitae finem non utique dicendi sunt in Christo perseverasse usque in finem, quia in Christo perseverare est in eius fide perseverare; quae fides, ut eam definit idem Apostolus, PER DILECTIONEM OPERATUR (Gal. 5, 6); DILECTIO autem, sicut ipse alibi dicit, MALUM NON OPERATUR (1. Cor. 8, 4; Rom. 13, 10). Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt

Christi. Ut enim alia taceam, non possunt simul esse et membra Christi et membra meretricis (1. Cor. 6, 15). Denique ipse dicit: QUI MANDUCAT CARNEM MEAM ET BIBIT SANGUINEM MEUM, IN ME MANET, ET EGO IN EO (Joh. 6, 57). Ostendit quid sit non sacramento tenus, sed re vera [1] corpus Christi manducare et eius sanguinem bibere; hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat et Christus. Sic enim hoc dixit, tamquam diceret: Qui non in me manet, et in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum aut bibere sanguinem meum. Non itaque manent in Christo, qui non sunt membra eius. Non sunt autem membra Christi, qui se faciunt membra meretricis, nisi malum illud poenitendo esse destiterint et ad hoc bonum reconciliatione redierint.

L. 22, C. 10 (PL XLI, 772; CSEL XL, 2, 614; TEUBNER II, 583—4).

In libro 22 concludente totum opus, et promittitur felicitas aeterna et adstruitur fides resurrectionis corporum eis miraculis, quae ut mundus in Christum crederet facta sunt et mundo credente fieri non desinunt per martyres in nomine Christi.

Denique (scl. gentes) illi talibus diis suis et templa aedificaverunt et statuerunt aras, et sacerdotes instituerunt, et sacrificia fecerunt; nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias [2] sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostro; ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium corpus est Christi [3], quod non offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi. Quibus igitur potius credendum est miracula facientibus? Eisne qui se ipsos volunt haberi deos ab his quibus ea faciunt, an eis qui, ut in Deum credatur, quod et Christus est, faciunt quidquid mirabile faciunt? Eisne qui sacra sua etiam crimina sua esse voluerunt, an eis qui nec

[1] Saepissime S. Patres monent, ne indigne quis sumat sacramentum vel offerat sacrificium. Sic Cypr. Ep. 15, 1; Ep. 65, 2; Ep. 75, 21; De laps. 15, 16, 22. Augustino talis monitio quandoque praebet locum arguendi, quod sacramentum et res sacramenti sunt distinguenda. En. in ps. 3, 1: Adhibuit (scl. Judam) ad convivium, in quo corporis et sanguinis sui figuram discipulis commendavit et tradidit; Ep. 185, 11, 50: Rem ipsam non tenent intus (scl. haeretici), cuius est illud sacramentum et ideo sibi iudicium manducant et bibunt; S. 71, 11, 17.

[2] S. 273, 7.

[3] De spir. et lit. 11, 18: Unde et in ipso verissimo et singulari sacrificio Domino Deo nostro agere gratias admonemur.

laudes suas volunt esse sacra sua, sed totum, quod veraciter laudantur, ad eius gloriam proficere in quo laudantur? In Domino quippe laudantur animae eorum? (Ps. 23, 3). Credamus ergo eis et vera dicentibus, et mira facientibus.

DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE L. 1, C. 20, 26 ET 27 (PL XLIV, 123—124).

De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum ad Marcellinum libri tres, scripti anno 412, probant contra Pelagianos mortem hominis consecutam esse merito peccati, non necessitate naturae, et parvulos esse baptizandos, ut remissionem accipiant eius peccati Adae, quo tota eius stirps est obligata. In 1. I cap. 20 stricte statuit Aug. praeter baptismum etiam participationem corporis et sanguinis Christi necessariam esse ad salutem consequendam.

26. Terrentur autem isti (scl. non baptizati) sententia Domini dicentis: NISI QUIS NATUS FUERIT DENUO, NON VIDEBIT REGNUM DEI. Quod cum exponeret, ait, NISI QUIS RENATUS FUERIT EX AQUA ET SPIRITU, NON INTRABIT IN REGNUM COELORUM (Joh. 3, 3, 5). Et propterea conantur parvulis non baptizatis innocentiae merito salutem ac vitam aeternam tribuere; sed quia baptizati non sunt, eos a regno coelorum facere alienos: nova quadam et mirabili praesumptione, quasi salus ac aeterna vita possit esse praeter Christi haereditatem, praeter regnum coelorum [1]. Habent enim videlicet quo confugiant, atque ubi delites-

[1] Hanc distinctionem temerariam, sacramentum nempe necessarium quidem esse ad regnum Dei, sed minime ad vitam, Aug. refellit demonstrando, quod etiam parvuli vitam prorsus habere non possunt, nisi manducaverint carnem filii hominis. Explicat sic traditionem ecclesiae a Cypriano (De laps. 25) attestatam assumens realismum Chrysostomi, quem ex eius commentatione verborum, quae in Joh. Ev. cap. 6 inveniuntur (Hom. in Joh. 45, 2; 46, 1; 47, 1 et alias) optime novit. Cfr. S. 131, 1; S. 174, 6, 7: Iam si corda vestra tolerant, aliquibus baptizatis Christum non esse Jesum, nescio utrum fides vestra in regula sana possit agnosci. Infantes sunt, sed sacramenta eius accipiunt. Infantes sunt, sed mensae eius participes fiunt, ut habeant in se vitam. Quid mihi dicis, Sanus est, non habet vitium? Quare cum illo curris ad medicum, si non habet vitium?; Op. imp. c. Julian. 2, 30: Cur ministratur sanguis, qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum, quem bibat parvulus, ut habere possit vitam, si de nullius peccati origine venit in mortem?; 3, 38: Quaero a te, utrum si homo faciat opera illa cuncta justitiae, quae propheta Ezechiel toties repetendo commemorat, etiam non regeneratus, vita vivat? Si dicis eum vita vivere contradicit Christus antichristo et dicit: NISI MANDUCAVERITIS . . .: Quem cibum et potum ad regeneratos pertinere, velis nolis, cogeris confiteri . . . — Affert Aug. etiam auctoritatem Innocentii I. papae ad patres concilii Milevitani scribentis a. 417 (Ep. 182, 5): Illud vero quod eos (scl. pelagianos) vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, et biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum

cant, quia non ait Dominus, SI QUIS NON RENATUS FUERIT EX AQUA ET SPIRITU, NON HABEBIT VITAM; sed ait, NON INTRABIT IN REGNUM DEI. Nam si illud dixisset nulla hinc dubitatio posset oboriri. Auferatur ergo dubitatio: iam Dominum audiamus, non suspiciones conjecturasque mortalium; Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctae mensae suae, quo nemo rite nisi baptizatus accedit: NISI MANDUCAVERITIS CARNEM MEAM, ET BIBERITIS SANQUINEM MEUM, NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS (Joh. 6, 54). Quid ultra quaerimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam perspicuae veritatis intendat?

27. An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos haec sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis huius et sanguinis in se habere vitam: quia non ait, Qui non manducaverit, sicut de baptismo, QUI NON RENATUS FUERIT; sed ait, SI NON MANDUCAVERITIS, velut eos alloquens qui audire et intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore et sanguine filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam aetas maior id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur: quia non ait, Qui non manducaverit; sed, SI NON MANDUCAVERITIS. Et ubi est quod eodem loco de hac ipsa re ait, PANIS QUEM EGO DEDERO, CARO MEA EST PRO SAECULI VITA (Joh. 6, 54, 52)? Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus quando ista dicebat; quia non possumus dicere ad saeculum nos non pertinere, pro cuius vita Christus suam carnem dedit. Quis autem ambigat saeculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc saeculum veniunt? Nam, sicut alibi ait, FILII SAECULI HUIUS GENERANT ET GENERANTUR (Luc. 20, 34). Ac per hoc etiam pro parvulorum vita caro data est, quae data est pro saeculi vita; etsi non manducaverint carnem Filii hominis, nec ipsi habebunt vitam [1].

praedicant hoc habere quod in eis creditur nonnisi baptismate conferendum. Cfr. C. Jul. Pel. 1, 13; C. duas ep. Pel. 2, 4, 7; Ep. 186, 28; similiter Ep. 286, 5: parvuli ... si in illa parva aetate moriuntur, ubique secundum ea, quae per corpus gesserunt, id est tempore quo in corpore fuerunt, quando ... baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem manducaverunt vel non manducaverunt, quando et sanguinem biberunt vel non biberunt, secundum haec ergo, quae per corpus gesserunt, non secundum ea quae, si diu hic viverent, gesturi fuerant, iudicantur; Cfr. etiam S. 57, 7; In Joh. tr. 26, 13; 27, 5; En. 1, 6 in Ps. 33; En. 1, 10 in Ps. 33; En. in ps. 98, 8.

[1] De praedest. sanct. 13, 25: Hoc (i. e. baptizatis in parvula aetate morientibus non originalia dilui, sed sua futura, si viverent) si auderent Pelagiani, non iam laborarent negando originale peccatum, quaerere parvulis extra regnum Dei nescio cuius suae felicitatis locum: maxime quando convincuntur non eos habere posse vitam aeternam, quia non manducaverunt carnem nec biberunt sanguinem Christi.

DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE L. 1, C. 24, 34 (PL XLIV, 128—9).

Optime Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam salutem, et sacramentum corporis Christi nihil aliud quam vitam vocant. Unde, nisi ex antiqua, ut existimo, et apostolica traditione, qua ecclesiae Christi insitum tenent praeter baptismum et participationem mensae dominicae, non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem et vitam aeternam posse quemquam hominum pervenire? Hoc enim et Scriptura testatur, secundum ea quae supra diximus. Nam quid aliud tenent, qui baptismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est, SALVOS NOS FECIT PER LAVACRUM REGENERATIONIS (Tit. 3, 5); et quod Petrus ait, SIC ET VOS SIMILI FORMA BAPTISMA SALVOS FACIT (1. Petr. 3, 21)? Quid aliud etiam, qui sacramentum mensae dominicae vitam vocant, nisi quod dictum est, EGO SUM PANIS VIVUS, QUI DE COELO DESCENDI; et, PANIS QUEM EGO DEDERO, CARO MEA EST PRO SAECULI VITA; et, SI NON MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS ET SANGUINEM BIBERITIS, NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS (Joh. 6, 51, 52, 54)? Si ergo ut tot et tanta divina testimonia concinunt, nec salus nec vita aeterna sine baptismo et corpore et sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur parvulis. Porro si a salute ac vita aeterna hominem nisi peccata non separant, per haec sacramenta nonnisi peccati reatus in parvulis solvitur: de quo reatu scriptum est, neminem esse mundum, NEC SI UNIUS DIEI FUERIT VITA EIUS (Job 14, 4 sec. LXX). Unde est et illud in psalmis: EGO ENIM IN INIQUITATIBUS CONCEPTUS SUM, ET IN PECCATIS MATER MEA ME IN UTERO ALUIT (Ps. 50, 7). Aut enim ex persona generali ipsius hominis dicitur, aut si proprie de se David hoc dicit, non utique de fornicatione, sed de legitimo connubio natus fuit. Non itaque dubitemus etiam pro infantibus baptizandis sanguinem fusum, qui priusquam funderetur, sic in sacramento datus est et commendatus, ut diceretur, HIC EST SANGUIS MEUS, QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM (Mth. 26, 28). Negant enim illos liberari, qui sub peccato esse nolunt fateri. Nam unde liberantur, si nulla servitute peccati tenentur obstricti?

IN JOHANNIS EVANGELIUM TRACTATUS 11, C. 4 ET 5 (PL XXXV, 1476—1478).

Tractatus 124 in Evangelium Johannis sub annum 416 censemus habitos ex ordine lectionum, uti refert Aug. (In epist. Joh. ad Parthos, prolog.), per longum tempus et quidem per dies usque tres vel quinque continuos, qui ordo in solemnitatibus sanctorum dierum, quibus certas ex evangelio lectiones oportebat in ecclesia recitari, paululum intermissus est, non amissus. Impugnant et Donatistas et Pelagianos, forsan et Arianos.

4. Cum ergo ex numero Nicodemus esset, venit ad Dominum: sed nocte venit; et hoc forte ad rem pertinet. Ad Dominum venit, et nocte venit: ad lucem venit, et in tenebris venit. Renati autem ex aqua et Spiritu, quid audiunt ab Apostolo? FUISTIS ALIQUANDO TENEBRAE, NUNC AUTEM LUX IN DOMINO; SICUT FILII LUCIS AMBULATE (Eph. 5, 8) et iterum, NOS AUTEM QUI DIEI SUMUS, SOBRII SIMUS (1. Thess. 5, 8). Qui ergo renati sunt, noctis fuerunt et diei sunt: tenebrae fuerunt, et lumen sunt. Jam credit se illis Jesus, et non nocte veniunt ad Jesum sicut Nicodemus, non in tenebris quaerunt diem. Tales enim iam etiam profitentur: accessit ad illos Jesus, fecit in illis salutem: quia ipse dixit: NISI QUIS MANDUCAVERIT CARNEM MEAM ET BIBERIT SANGUINEM MEUM, NON HABEBIT IN SE VITAM (Joh. 6, 54). Et quod signum crucis habent in fronte catechumeni, iam de domo magno sunt; sed fiant ex servis filii. Non enim nihil sunt qui iam ad domum magnam pertinent. Quando autem manna manducavit populus Israel? Cum transisset mare rubrum. Mare autem rubrum quid significet, audi Apostolum: NOLO AUTEM VOS IGNORARE, FRATRES, QUIA OMNES PATRES NOSTRI SUB NUBE FUERUNT, ET OMNES PER MARE TRANSIERUNT. Utquid per mare transierunt, quasi quaereres ab illo, secutus ait, ET OMNES PER MOYSEN BAPTIZATI SUNT IN NUBE ET IN MARI (1. Cor. 10, 1, 2). Si ergo figura[1] maris tantum valuit, species baptismi quantum valebit? Si quod gestum est in figura, traiectum populum ad manna perducit; quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui, traiecto per eum populo suo? Per baptismum suum traiicit credentes, occisis omnibus peccatis, tanquam hostibus consequentibus sicut in illo mari omnes Aegyptii perierunt, Quo traiicit, fratres mei? Quo traiicit per baptismum Jesus, cuius figuram tunc gerebat Moyses, qui per mare traiiciebat? Quo traiicit? Ad manna. Quod est manna[2]? EGO SUM, inquit,

[1] Videsis quae supra ad 1. 10 De civ. Dei c. 20 adnotavimus.

[2] Ambrosius significationem Mannae in eo ponit, quod est figura sacramenti in novo testamento supervenientis. Cfr. De Myst. 8, 47 et 48; 8, 49; Similiter De Sacr. 4, 39 et 5, 24; Origen. in Num. hom. 7, 2. Econtra Aug. aequaliter manna atque sacramentum corporis Domini habet pro figuris ipsius Christi, qui in coelis est. Cfr. in Joh. tr. 26, 12; tr. 45, 9; S. 352, 1, 3: Manna de coelo aperte ab ipso Domino exponitur. Patres vestri manducaverunt, inquit, manna in eremo et mortui sunt. Quando enim viverent, cum figura praenuntiare vitam posset, vita esse non posset? MANDUCAVERUNT, inquit, MANNA ET MORTUI SUNT; id est, manna, quod manducaverunt, non illos potuit de morte liberare; non quia ipsum manna mors eis fuit, sed quia eos a morte non liberavit. Ille enim liberaturus erat a morte, qui per manna figurabatur. De coelo certe manna veniebat, attendite quem figurabat: EGO SUM, inquit, PANIS VIVUS, QUI DE COELO DESCENDI. Sicut studiosi autem et bene vigilantes verbo dominico attendite, ut proficiatis et legere et audire noveritis. EUNDEM, inquit, CIBUM SPIRITUALEM MANDUCAVERUNT. Quid est, EUNDEM, nisi quia eum, quem etiam nos? Video aliquantum esse ad promendum explicandumque difficile quod dicere institui: sed adiuvabor benevolentia vestra, haec mihi a Domino impetret facultatem. EUNDEM inquit, CIBUM SPIRITUALEM MANDUCAVERUNT. Suffecerat, ut diceret, cibum spiritualem manducaverunt. EUNDEM inquit. Eundem non invenio quomodo intellegam nisi eum quem manducamus

PANIS VIVUS, QUI DE COELO DESCENDI (Joh. 6, 51). Manna accipiunt fideles, iam traiecti per mare rubrum. Quare mare rubrum? Iam mare, quare et rubrum? Significabat mare illud rubrum baptismum Christi. Unde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? Quo ergo perducit credentes et baptizatos? Ad manna. Ecce dico manna: notum est quid acceperint Judaei, populus iste Israel, notum est quid illis pluisset Deus de coelo, et nesciunt catechumeni quid accipiant Christiani. Erubescant ergo, quia nesciunt; transeant per mare rubrum, manducent manna: ut quomodo crediderunt in nomine Jesu, sic se ipsis credat Jesus.

5. Ideo intendite, fratres mei, quid respondeat iste qui nocte venit ad Jesum. Quamvis ad Jesum venerit, tamen quia nocte venit, adhuc de tenebris carnis suae loquitur. Non intelligit quod audit a Domino, non intelligit quod audit a luce, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joh. 1, 9). Iam ei Dominus dixit, NISI QUIS NATUS FUERIT DENUO, NON VIDEBIT REGNUM DEI. Dicit ad eum Nicodemus: QUOMODO POTEST HOMO NASCI CUM SIT SENEX? Spiritus ei loquitur et ille carnem sapit. Carnem suam sapit, quia carnem Christi nondum sapit. Cum enim dixisset Dominus Jesus, NISI QUIS MANDUCAVERIT CARNEM MEAM ET BIBERIT SANGUINEM MEUM, NON HABEBIT IN SE VITAM; scandalizati sunt quidam qui eum sequebantur, et dixerunt apud semetipsos, DURUS EST HIC SERMO, QUIS POTEST EUM AUDIRE? Putabant enim hoc dicere Jesum, quod eum possent concisum sicut agnum coquere et manducare; abhorrentes a verbis eius recesserunt et amplius eum non sunt secuti. Sic Evangelista loquitur: ET DOMINUS IPSE REMANSIT CUM DUODECIM: ET ILLI AD EUM, DOMINE, ECCE ILLI DIMISERUNT TE; ET ILLE, NUMQUID ET VOS VULTIS ABIRE? Ostendere volens quia ipse illis erat necessarius, non illi erant Christo necessarii. Ne quis terreat Christum, quando dicitur ut sit christianus; quasi beatior erit Christus, si tu fueris christianus. Bonum est tibi, ut sis christianus: nam si non fueris, malum Christo non erit. Audi vocem Psalmi: DIXI DOMINO, DEUS MEUS ES TU, QUONIAM BONORUM MEORUM NON EGES

---

et nos. Quid ergo, ait aliquis, hoc erat manna illud, quod ego nunc accipio? Ergo nihil modo venit, si ante jam fuit. Ergo evacuatum est scandalum crucis. Quomodo ergo eundem, nisi quia addidit SPIRITUALEM? Nam qui manna illud sic acceperunt, ut tantummodo indigentiae suae corporali satisfieri putarent, et ventrem suum pasci, non mentem, nihil magnum manducaverunt, factum satis est eorum indigentiae. Alios deus pavit, aliis aliquid nuntiavit. Hi tales cibum corporalem manducaverunt, non cibum spiritualem. Quos ergo dicit patres nostros cibum spiritualem eundem manducavisse? ... Apostolus dicit, patres non patres infidelium, non patres impiorum, manducantes et morientes, sed patres nostros, patres fidelium, spiritualem cibum manducasse et ideo eundem. Erant enim ibi qui quod manducabant, intelligebant: erant ibi quibus plus Christus in corde, quam manna in ore sapiebat ... Breviter ergo dixerim: quicumque in manna Christum intellexerunt, eundem quem nos cibum spiritualem manducaverunt.

(Ps. 15, 2). Ideo DEUS MEUS ES TU, QUONIAM BONORUM MEORUM NON EGES. Si tu eris sine Deo, minor eris, si fueris eum Deo, maior Deus non erit. Non ex te ille maior, sed tu sine illo minor. Cresce ergo in illo, noli te subtrahere, ut quasi ille deficiat. Reficieris, si accesseris; deficies, si recesseris. Integer manet te accedente, integer manet et te cadente. Cum ergo dixisset discipulis, NUMQUID ET VOS VULTIS ABIRE? Respondit Petrus, petra illa, voce omnium, DOMINE, AD QUEM IBIMUS? VERBA VITAE AETERNAE HABES. Bene sapuit in ore ipsius caro Domini. Dominus autem exposuit eis, et dixit, SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT: cum dixisset, NISI QUIS MANDUCAVERIT CARNEM MEAM, ET BIBERIT SANQUINEM MEUM, NON HABEBIT IN SE VITAM; ne carnaliter intelligerent, SPIRITUS EST, inquit, QUI VIVIFICAT, CARO AUTEM NIHIL PRODEST: VERBA QUAE LOCUTUS SUM VOBIS, SPIRITUS EST ET VITA.

IN JOHANNIS EVANGELIUM TRACTATUS 26, 11—20 (PL XXXV, 1611—5).

11. EGO SUM, inquit, PANIS VITAE. Et unde illi superbiebant? PATRES VESTRI, inquit, MANDUCAVERUNT IN DESERTO MANNA, ET MORTUI SUNT. Quid est unde superbitis? MANDUCAVERUNT MANNA, ET MORTUI SUNT. Quare manducaverunt et mortui sunt? Quia quod videbant credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum. Nam quantum pertinet, fratres mei, ad mortem istam visibilem et corporalem, numquid nos non morimur, qui manducamus panem de coelo descendentem? Sic sunt mortui et illi, quemadmodum nos sumus morituri; quantum attinet, ut dixi, ad mortem huius corporis visibilem atque carnalem. Quantum autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus, qua mortui sunt patres istorum; manducavit manna et Moyses, manducavit manna et Aaron; manducavit manna et Phinees, manducaverunt ibi multi qui Domino placuerunt, et mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud virtus[1] sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo moriuntur? Unde dicit Apostolus, JUDICIUM SIBI MANDUCAT ET BIBIT (1. Cor. 11, 29). Non enim

[1] Virtus ab Aug. intelligitur aut causa ipsa divina nostrae salutis aut effectus in anima ab ea productus. Causa intelligitur e. gr. De bapt. c. Donat. 3, 10, 15: Sacramento suo divina virtus adsistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium; C. Faust. 19, 16: Virtus, quae per ista operatur, iugiter manet. Econtra intelligitur effectus e. gr. In Joh. tr. 26, 11; 27, 75; In ep. Joh. tr. 6, 10: Ne forte sacramentum habes, et virtutem sacramenti non habes; En. in ps. 77, 2: Gratia, quae sacramentorum virtus est; C. lib. Petil. 1, 17: Virtutem autem ipsam baptismi per malum schisma amiserunt.

buccella dominica venenum fuit Judae. Et tamen accepit, et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, fratres, panem coelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite, quid dicatis: DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS (Mth. 6, 12). Dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum. Sed vide si dimittis: nam si non dimittis, mentiris, et ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Novit ille quid agat. Intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus iudicat, intus aut damnat aut coronat. Patres autem istorum, id est, mali patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores patres murmuratorum. Nam de nulla re magis Dominum offendisse ille populus dictus est quam contra Deum murmurando. Ideo et Dominus eos valens ostendere talium filios, hinc ad eos coepit: QUID MURMURATIS IN INVICEM, murmuratores filii murmuratorum? PATRES VESTRI MANNA MANDUCAVERUNT, ET MORTUI SUNT: non quia malum erat manna, sed quia male manducaverunt.

12. HIC EST PANIS, QUI DE COELO DESCENDIT. Hunc panem significavit manna, hunc panem significavit altare Dei [1]. Sacramenta illa fuerunt: in signis diversa sunt; in re quae significatur, paria sunt. Apostolum audi: NOLO ENIM VOS, inquit, IGNORARE, FRATRES, QUIA PATRES NOSTRI OMNES SUB NUBE FUERUNT, ET OMNES MARE TRANSIERUNT, ET OMNES IN MOYSEN BAPTIZATI SUNT IN NUBE ET IN MARI, ET OMNES EAMDEM ESCAM SPIRITUALEM MANDUCAVERUNT. Spiritualem utique eamdem; nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: spiritualem vero, quam nos. Sed patres nostri, non patres illorum; quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Et adiungit: ET OMNES EUMDEM POTUM SPIRITUALEM BIBERUNT. Aliud illi, aliud nos; sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spirituali. Quomodo enim eumdem potum? BIBEBANT, inquit, DE SPIRITUALI SEQUENTE PETRA: PETRA AUTEM ERAT CHRISTUS (1. Cor. 10, 1—4) [2]. Inde panis, inde potus. Petra Chri-

[1] S. 4, 10, 10: Et omnes eundem cibum spiritualem manducaverunt. Quid est eundem? Idem significantem . . . Haec autem figurae nostrae fuerunt (1. Cor. 10, 6). Illis sunt exhibitae, sed figurae nostrae fuerunt: quia illis corporaliter exhibebantur, nobis spiritualiter significabantur. Ergo illi qui corporaliter ea tenuerunt, ad vetus testamentum pertinuerunt; S. 6, 6, 8: Omnia ergo futuri populi, signa sunt et mysteria de Domino nostro Jesu Christo. Et si qua alia sunt in veteribus libris sacramenta, sive illa intelligemus, sive non intelligemus, quaerentem desiderant, non reprehendentem . . . Illis futura praedicta sunt sacramenta: nos praesentia videmus in ecclesia; In Joh. tr. 45, 9 Tempora variata sunt, non fides . . . Videte ergo fide manente signa variata.

[2] Cfr. Ambr., De myst. 8, 49: Audi quia umbra est, quae apud patres facta est. BIBEBANT, inquit, DE CONSEQUENTI EOS PETRA: PETRA AUTEM ERAT CHRISTUS. . . .

stus in signo, verus Christus in Verbo et in carne. Et quomodo biberunt? Percussa est petra de virga bis: gemina percussio, duo ligna crucis significat [1]. HIC EST ERGO PANIS DE COELO DESCENDENS, UT SI QUIS MANDUCAVERIT EX IPSO, NON MORIATUR. Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum: qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente.

13. EGO SUM PANIS VIVUS, QUI DE COELO DESCENDI. Ideo vivus, quia de coelo descendi. De coelo descendit et manna: sed manna umbra erat, iste veritas est. SI QUIS MANDUCAVERIT EX HOC PANE, VIVET IN AETERNUM: ET PANIS, QUEM EGO DABO, CARO MEA EST PRO MUNDI VITA. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem, carnem? Vocatur caro, quod non capit caro, et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putaverunt. CARO MEA EST, inquit, PRO MUNDI VITA. Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi [2]. De spiritu Christi

Haec autem in figura facta sunt nostra. Cognovisti praestantiora; potior est enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de coelo; De sacr. 5, 1, 2: Vide mysterium: Moyses, hoc est propheta; virga, hoc est verbum Dei. Sacerdos verbi Dei tangit petram, et fluit aqua, et bibit populus Dei. Tangit ergo sacerdos, redundat aqua in calice, salit in vitam aeternam et bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est; S. 139, 2: De terrenis si ad coelestia non sunt dandae similitudines, quomodo scriptum est, PETRA AUTEM ERAT CHRISTUS?; S. 252, 3: Audistis eundem potum: Petra erat Christus: Non enim alter Christus tunc, alter nunc ... Eundem ergo cibum eundem potum, sed intelligentibus et credentibus ... tunc enim Christus venturus, modo Christus venit. Venturus et venit, diversa verba sunt, sed idem Christus.

[1] S. 352, 3: Denique percussa est ipsa petra ligno, ut aqua defluueret: virga enim percussa est (Exod. 17, 5 et 6). Quare ligno, non ferro, nisi quia crux ad Christum accessit, ut nobis gratiam propinaret?

[2] Cfr. Cyr., Cat. myst. 4, 4: *Ἐκεῖνοι, μὴ ἀκηκοότες πνευματικῶς τῶν λεγομένων, σκανδαλισθέντες ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, νομίζοντες ὅτι ἐπὶ σαρκοφαγίαν αὐτούς προτρέπεται.* 4, 5: *Ὥσπερ γὰρ ὁ ἄρτος σώματι κατάλληλος, οὕτω καὶ ὁ λόγος τῇ ψυχῇ ἁρμόδιος.* 4, 6: *Εἰ γὰρ καὶ ἡ αἴσθησίς σοι τοῦτο ὑποβάλλει, ἀλλὰ ἡ πίστις σε βεβαιούτω.* 4, 7: *Τί ἄλλο σημαίνει ἢ τὴν μυστικὴν καὶ νοητὴν τράπεζαν.* 4, 8: *Δεῦρο φάγε ἐν εὐφρωσύνῃ τὸν ἄρτον σου, τὸν πνευματικὸν ἄρτον.* Capharnaitismum impugnat Aug. En. I in ps. 33; En. in ps. 98, 8; In Joh. tr. 25, 6, 12: Utquid paras dentes et ventrem? Crede et manducasti; tr. 27, 2: Isti autem ... non crediderunt aliquid magnum dicentem, et verbis illis aliquam gratiam cooperientem; sed prout voluerunt, ita intellexerunt, et more hominum quia poterat, aut hoc disponebat Jesus, carnem quia indutum erat verbum, veluti concisam distribuere credentibus in se; tr. 27, 3: Gratia eius non consumitur morsibus; tr. 27, 5: Caro non prodest quidquam, sed sola caro; accedat spiritus ad carnem ... et prodest plurimum ... per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit; quod habebat, attende, non quod erat; tr. 27, 11; Ss. 57, 7; 71, 11, 17; 112; 131, 1; De doctr. chr. 3, 16; De civ. Dei 21, 20; 21, 25. Concinnat in hoc plane cum Origene, In Mth. comm. ser. 85: Nam corpus Dei verbi aut sanguis quid aliud esse potest, nisi verbum, quod nutrit et verbum, quod laetificat cor? In Mth. comm. 11, 14: *Καὶ οὐχ ἡ ὕλη τοῦ ἄρτου, ἀλλ' ὁ ἐπ' αὐτῷ εἰρημένος λόγος ἐστὶν ὁ ὠφελῶν τὸν μὴ ἀναξίως τοῦ κυρίου ἐσθίοντα αὐτόν. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τοῦ τυπικοῦ καὶ συμβολικοῦ σώματος*; In Joh. comm. 13, 30: *Νοείσθω δὲ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ποτήριον τοῖς μὲν ἁπλουστέροις κατὰ τὴν κοινοτέραν περὶ τῆς εὐχαριστίας ἐκδοχήν, τοῖς δὲ βαθύτερον ἀκούειν μεμαθηκόσιν κατὰ τὴν θειοτέραν καὶ περὶ τοῦ τροφίμου τῆς ἀληθείας λόγου ἐπαγγελίαν* (Ed. Preuschen 468, 13).

non vivit, nisi corpus Christi. Intelligite fratres mei, quid dixerim. Homo es, et spiritum habes, et corpus habes. Spiritum dico, quae anima vocatur, qua constat quod homo es: constas enim ex anima et corpore. Habes itaque spiritum invisibilem, corpus visibile. Dic mihi quid ex quo vivat: spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis, qui vivit: qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit: quid respondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de spiritu Christi [1]? In corpore esto Christi. Numquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, et tuum de tuo. Non potest vivere corpus Christi, nisi de spiritu Christi. Inde est, quod exponens nobis apostolus Paulus hunc panem, UNUS PANIS, inquit, UNUM CORPUS MULTI SUMUS (1. Cor. 10, 17). O Sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum caritatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur [2], ut vivificetur. Non abhorreat a compage [3] membrorum, non sit putre membrum, quod resecari mereatur, non sit distortum de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum; haereat corpori, vivat Deo de Deo; nunc laboret in terra, ut postea regnet in coelo.

14. LITIGABANT ERGO JUDAEI AD INVICEM, DICENTES: QUOMODO POTEST HIC CARNEM SUAM NOBIS DARE AD MANDUCANDUM? Litigabant utique ad invicem, quoniam panem concordiae non intelligebant, nec sumere volebant: nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem; quoniam UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS. Et per hunc facit DEUS UNIUS MODI HABITARE IN DOMO (Ps. 67, 7).

15. Quod autem ad invicem litigantes quaerunt, quomodo possit Dominus carnem suam dare ad manducandum, non statim audiunt: sed adhuc eis dicitur: AMEN, AMEN DICO VOBIS, NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS, ET BIBERITIS EIUS SANGUINEM, NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS. Quomodo quidem edatur, et quisnam modus [4] sit manducandi istum panem, ignoratis, verumtamen NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS, ET BIBERITIS EIUS SANGUINEM, NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS. Haec non utique cadaveribus, sed viventibus loquebatur. Unde, ne istam vitam intelligentes et de hac re litigarent, secutus adiunxit, QUI MANDUCAT MEAM CARNEM, ET BIBIT MEUM SANGUINEM, HABET VITAM AETERNAM. Hanc ergo non habet, qui istum panem non manducat, nec istum vitam sanguinem bibit: nam temporalem vitam sine illo habere homines possunt, aeternam vero omnino non possunt. Qui ergo non

[1] In Joh. tr. 27, 11.

[2] Cfr. Cyr., Cat. myst. 4, 1: *περὶ τῶν θείων μυστηρίων, ὧν καταξιωθέντες σύσσωμοι καὶ σύναιμοι τοῦ Χριστοῦ γεγόνατε.* 4, 3: *ἵνα γένῃ, μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ. Οὕτω γὰρ καὶ χριστοφόροι γινόμεθα.*

[3] De civ. Dei 21, 25; Ep. 149, 2, 16; Ep. 185, 11, 50; Ep. 187, 6, 20.

[4] Cfr. S. 71, 11, 17; De civ. Dei 21, 25, 2 et 4.

manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem, non habet in se vitam: et qui manducat eius carnem, et bibit eius sanguinem, habet vitam. Ad utrumque autem respondet quod dixit, AETERNAM. Non ita est in hac esca quam sustentandae huius temporalis vitae causa sumimus. Nam qui eam non sumpserit, non vivet: nec tamen qui eam sumpserit, vivet. Fieri enim potest ut senio vel morbo, vel aliquo casu, plurimi et qui eam sumpserint moriantur. In hoc vero cibo et potu, id est corpore et sanguine Domini, non ita est. Nam et qui eam non sumit, non habet vitam: et qui eam sumit, habet vitam, et hanc utique aeternam. Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta ecclesia in praedestinatis [1] et vocatis, et iustificatis, et glorificatis sanctis et fidelibus eius. Quorum primum iam factum est, id est, praedestinatio: secundum et tertium factum est, et fit, et fiet, id est, vocatio et iustificatio: quartum vero nunc in spe est, in re autem futurum est, id est, glorificatio. Huius rei sacramentum, id est unitatis corporis et sanguinis Christi alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa praeparatur, et de mensa dominica sumitur; quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res [2] vero ipsa, cuius sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque eius particeps fuerit.

16. Ne autem putarent sic in isto cibo et potu promitti vitam aeternam, ut qui eam sumerent, iam nec corpore morerentur; huic cogitationi dignatus est occurrere. Nam cum dixisset, QUI MANDUCAT MEAM CARNEM, ET BIBIT MEUM SANGUINEM, HABET VITAM AETERNAM; continuo subiecit, ET EGO RESUSCITABO EUM IN NOVISSIMO DIE. Ut habeat interim secundum spiritum vitam aeternam in requie, quae sanctorum spiritus suscipit: quod autem ad corpus attinet, nec eius vita aeterna fraudetur, sed in resurrectione mortuorum novissimo die [3].

17. CARO ENIM MEA, inquit, VERE EST CIBUS, ET SANGUIS MEUS VERE EST POTUS. Cum enim cibo et potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant; hoc veraciter non praestat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit, id est societas ipsa sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus

---

[1] Hoc termino, quem invenit in Ep. ad Rom. 8, 28, Aug. utitur abhinc a. 415; Cfr. De civ. Dei 17, 20, 2: Hic certe agnoscimus Dei sapientiam, hoc est verbum patri coaeternum, in utero virginali domum sibi aedificasse corpus humanum et huic tanquam capiti membra ecclesiam subiunxisse, martyrum victimas immolasse, mensam in vino et panibus praeparasse; In ep. Joh. tr. 1, 2: Illi carni (scl. Christi) adiungitur ecclesia et fit Christus totus, caput et corpus.

[2] Ep. 185, 11, 50.

[3] Enchir. 109, 29: Tempus autem, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est vel requie vel aerumna, pro eo quod sortita est in carne cum viveret; similiter S. 177, 2; S. 328, 5; En. in ps. 36, 1, 18.

noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus [1] commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit: aliud in unum ex multis acinis confluit.

18. Denique iam exponit, quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare corpus eius, et sanguinem bibere. QUI MANDUCAT CARNEM MEAM, ET BIBIT MEUM SANGUINEM, IN ME MANET, ET EGO IN ILLO. Hoc est ergo manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat (spiritualiter) carnem eius, nec bibit eius sanguinem, (licet carnaliter et visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis et sanguinis Christi) sed magis tantae rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit quia immundus praesumpsit ad Christi accedere sacramenta, quae aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est; de quibus dicitur. BEATI MUNDO CORDE QUONIAM IPSI DEUM VIDEBUNT (Mth. 5, 8).

19. SICUT, inquit, MISIT ME VIVENS PATER, ET EGO VIVO PROPTER PATREM; ET QUI MANDUCAT ME, ET IPSE VIVET PROPTER ME. Non ait: sicut manduco Patrem, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Non enim Filius participatione Patris fit melior, qui est natus aequalis; sicut participatione Filii [2] per unitatem corporis eius et sanguinis, quod illa manducatio potatioque significat, nos efficimur meliores. Vivimus ergo nos propter ipsum, manducantes eum; id est, ipsum accipientes aeternam vitam, quam non habebamus ex nobis: vivit autem ipse propter Patrem, missus ab eo; quia SEMETIPSUM EXINANIVIT, FACTUS OBEDIENS USQUE AD MORTEM CRUCIS (Phil. 2, 8). Si enim secundum id accipimus, VIVO PROPTER PATREM, quod alibi ait, PATER MAIOR ME EST (Joh. 14, 28); sicut et nos vivimus propter ipsum, qui maior est nobis: hoc ex eo quod missus est, factum est. Missio quippe eius exinanitio suimetipsius est, et formae servilis acceptio [3], quod recte intelligitur, servata etiam Filii cum Patre aequalitate naturae. Maior enim est Pater homine filio, sed aequalem habet Deum Filium: cum idem ipse sit et Deus et homo Dei filius et hominis filius, unus Christus Jesus. In quam sententiam si recte accipiuntur haec verba, ita dixit, SICUT ME MISIT VIVENS

[1] Res hic intelligendae sunt species panis et vini, quae exprimunt (Cypr., Ep. 63, 11) corpus et sanguinem. Cfr. Cyr., Cat. myst. 4, 6.

[2] S. Den. III.

[3] De civ. Dei 10, 6; 10, 20; 17, 20, 2; En. 1 in ps. 33; En. in ps. 149, 6: Hoc est, quod fecit Christus. Nihil mundum invenit in hominibus, quod offerret pro hominibus; seipsum obtulit mundam victimam. Felix victima, vera victima, hostia immaculata. Non ergo hoc obtulit quod nos illi dedimus: immo hoc obtulit quod a nobis accepit, et mundum obtulit. Carnem enim a nobis accepit, hanc obtulit. Sed unde illam accepit? De utero virginis Mariae, ut mundam offerret pro immundis. Ipse rex, ipse sacerdos; in eo laetemur!

PATER, ET EGO VIVO PROPTER PATREM, ET QUI MANDUCAT ME, ET IPSE VIVET PROPTER ME: ac si diceret, Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tanquam maiorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit; ut autem quisque vivat propter me, participatio facit qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est; sine detrimento aequalitatis dictum est. Nec tamen dicendo, ET QUI MANDUCAT ME, ET IPSE VIVET PROPTER ME eamdem suam et nostram aequalitatem significavit; sed gratiam mediatoris ostendit.

20. HIC EST PANIS QUI DE COELO DESCENDIT: ut illum manducando vivamus, quia aeternam vitam ex nobis habere non possumus. NON SICUT, inquit, MANDUCAVERUNT PATRES VESTRI MANNA, ET MORTUI SUNT: QUI MANDUCAT HUNC PANEM, VIVET IN AETERNUM. Quod ergo illi mortui sunt, ita vult intelligi, ut non vivant in aeternum. Nam temporaliter et hi profecto morientur, qui Christum manducant: sed vivunt in aeternum, quia Christus est vita aeterna.

IN JOHANNIS EVANGELIUM TRACTATUS 27, 11 ET 12 (PL XXXV, 1620—1).

11. Hoc totum quod Dominus de carne et de sanguine suo locutus est, et quod in eius distributionis gratia vitam nobis promisit aeternam, et quod hinc voluit intelligi manducatores et potatores carnis et sanguinis sui, ut in illo maneant et ipse in illis, et quod non intellexerunt qui non crediderunt, et quod spiritualia carnaliter sapiendo scandalizati sunt, et quod eis scandalizatis et pereuntibus, consolationi Dominus adfuit discipulis qui remanserant, ad quos probandos interrogavit, NUMQUID ET VOS VULTIS IRE? ut responsio permansionis eorum innotesceret nobis; nam ille noverat quia manebant: hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento [1] quod et multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut eius spiritu vegetemur, et non scandalizemur, etiam si multi modo nobiscum manducant et bibunt temporaliter sacramenta; qui habebunt in fine aeterna tormenta. Modo enim corpus Christi mixtum est tanquam in area; sed novit Dominus qui sunt eius (2. Tim. 2, 19). Si tu nosti quid trituras quia ibi est latens massa, nec consumit trituratio, quod purgatura est ventilatio; certi sumus, fratres, quia omnes qui sumus in corpore Domini, et manemus in illo, ut et ipse maneat in nobis,

[1] De civ. Dei 21, 25, 4; In Joh. tr. 26, 18; S. 131, 1; S. 98, 9.

in hoc saeculo necesse habemus usque in finem inter malos vivere. Non inter illos dico malos, qui blasphemant Christum: rari enim iam inveniuntur qui lingua blasphemant, sed multi qui vita. Necesse est ergo ut inter illos usque in finem vivamus.

12. Sed quid est quod ait, QUI MANET IN ME, ET EGO IN ILLO (Joh. 6, 57 et 15, 5), Quid, nisi quod martyres audiebant, QUI PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, HIC SALVUS ERIT (Mth. 24, 13). Quomodo mansit in illo sanctus Laurentius, cuius hodie festa celebramus? Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interrogationem, mansit usque ad acerrimam comminationem, mansit usque ad peremptionem: parum est, usque ad immanem excruciationem mansit. Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne: diu vivere permissus est; imo non diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat et bene biberat, tanquam illa esca saginatus et illo calice ebrius, tormenta non sensit. Ibi enim erat qui dixit, SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT. Caro enim ardebat, sed spiritus animam vegetabat. Non cessit, et in regnum successit. Dixerat autem illi Xystus martyr sanctus, cuius diem quinto ab hinc retro die celebravimus: Noli moerere, fili. Episcopus enim erat ille, iste diaconus. Noli moerere, inquit, sequeris me post triduum.

IN JOHANNIS EVANGELIUM TRACTATUS 47, 2 (PL XXXV, 1733—4).

Ideo quodam loco scriptum est: SI SEDERIS COENARE AD MENSAM POTENTIS, SAPIENTER INTELLIGE QUAE APPONUNTUR TIBI; ET MITTE MANUM TUAM, SCIENS QUIA TALIA TE OPORTET PRAEPARARE (Prov. 23, 1, 2 iuxta LXX). Mensa potentis quae sit, nostis; ibi est corpus et sanguis Christi: qui accedit ad talem mensam, praeparet talia. Et quid est, praeparet talia [1]? QUOMODO IPSE PRO NOBIS ANIMAM SUAM POSUIT, SIC ET NOS DEBEMUS, ad aedificandam plebem et asserendam fidem, ANIMAS PRO FRATRIBUS PONERE (1. Joh. 3, 16).

ENARRATIO 1. IN PSALMUM 33 (PL XXXVI, 302—3).

Psalmis Davidicis mirum in modum, ut aiunt Maurini, Aug. capiebatur. Per multos annos partim sermocinando in populis, partim dic-

[1] En. 2, 27 in ps. 21: Coenam suam dedit, passionem suam dedit: ille saturatur, qui imitatur; S. 1 in ps. 48: Quomodo saturabuntur? Imitando passionem suam et non sine causa accipiendo pretium suum.

tando scribae eos exposuit. Eucharisticae doctrinae ac disciplinae mentionem faciunt imprimis Enarrationes in ps. 21, ps. 33, ps. 98. Inter quas maximi nobis videtur ponderis Enarratio prima in titulum psalmi trigesimi tertii, quae satis extensa nec minus verbosa Alexandrinorum adhuc sequitur modum loquendi, quamvis quae Origenes de sacramento docuerit, aperte in ea reici facile ostenditur. Cum C. Adam statuerit in adamantinam quasi unitatem concrescere huius Enarrationis affirmationes, integrum textum lectoris studio atque industriae hic praestamus. Sermo 1 in ps. 33, habitus die sabbati, ex eo tempore quo Donatistas impugnare coepit extans, arcanum et grande mysterium iam in titulo: PSALMUS DAVID, CUM MUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT reconditum putat.

1. Psalmus iste nihil quidem obscurum et quod expositore indigeat, videtur habere in textu suo: titulus autem eius intentos facit, et pulsantes desiderat. Sed quemadmodum hic scriptum est, quia beatus vir qui sperat in eum: speremus omnes quod pulsantibus aperturus est. Non enim hortaretur nos ut pulsaremus, si nollet aperire pulsantibus (Mth. 7, 7). Si enim aliquando contingit, ut qui disponebat semper claudere, taedio compulsus ad manum pulsantis contra dispositionem suam surgat et aperiat, ne diu pulsantem patiatur (Luc. 11, 8): quanto magis sperare debemus citius aperturum illum qui ait: PULSATE, ET APERIETUR VOBIS? Pulso ego nunc intentione cordis ad Dominum Deum, ut dignetur nobis hoc mysterium revelare: pulset mecum et Caritas Vestra intentione audiendi, et humilitate orandi pro nobis. Est enim, quod fatendum est, arcanum et grande mysterium.

2. Sic enim se habet titulus Psalmi: PSALMUS DAVID, CUM MUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT. Quaerimus in Scripturis secundum res gestas, quae nobis de David conscriptae sunt, quando sit factum: quemadmodum invenimus titulum psalmi: CUM FUGERET DAVID A FACIE ABESSALON FILII SUI (Psal. 3, 1). Legimus enim in Regnorum libris et invenimus quando David fugeret a facie filii sui Abessalon (2 Reg. 15, 14): et verissimum est, quia contigit, et quod contigit, scriptum est; et quamvis titulus psalmi in mysterio sic scriptus sit, tamen ductus est de re quae gesta est. Sic credo et quod hic scriptum est, CUM MUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT, scriptum esse in Regnorum libris, ubi omnia nobis scripta sunt quae pertinent ad res gestas David: sed non invenimus hoc, et tamen aliquid invenimus unde appareat hoc esse tractum. Nam scriptum est quia cum fugeret David persecutorem Saul contulit se ad Achis regem Geth, id est ad regem cuiusdam gentis vicinae regno Judaeorum: ibi latitabat, ut persecutionem Saulis evitaret. Recens autem erat gloria eius, unde pro benefacto meruit invidiam, quando Goliam interfecit, et in una pugna gloriam securita-

temque regni et regi et populo comparavit. Saul autem cum provocante Golia aestuaret, prostrato Golia hostis esse coepit ei, per cuius manum hostem necaverat, et invidit gloriae David: maxime quia populus in exsultatione constitutus, et choro iam facto mulieres cantaverunt gloriam David, quod Saul percussisset in millibus, et David in denis millibus. Hinc ille commotus, quod coeperat habere maiorem gloriam per unam pugnam puer, et iam in laudibus omnium regi praeponebatur, ut se habet pestilentia livoris et superbia saeculi, invidere coeperat, et persequi. Tunc ille se, ut dixi, contulerat ad regem Geth, qui vocabatur Achis. Suggestum est autem regi ipsi, quod illum apud se haberet, qui magnam gloriam habere coeperat in populo Judaeorum, et dictum est illi: NONNE ISTE EST DAVID, CUI CHORUM FECERUNT MULIERES ISRAELITAE, DICENTES: SAUL PERCUSSIT IN MILLIBUS, ET DAVID IN DENIS MILLIBUS? Si autem propter hanc gloriam invidere ille coeperat Saul, nonne metuendum erat David, ne et ille rex ad quem confugerat, vellet opprimere eum, quem posset de vicino hostem habere, si salvum servaret? TIMUIT ET ILLUM, et, sicut scriptum est, MUTAVIT VULTUM SUUM CORAM IPSIS, ET AFFECTABAT, ET TYMPANIZABAT AD OSTIA CIVITATIS, ET FEREBATUR IN MANIBUS SUIS, ET PROCIDEBAT AD OSTIA PORTAE, ET SALIVAE DISCURREBANT SUPER BARBAM EIUS. Vidit eum rex ille apud quem latebat, et ait suis: UT QUID MIHI ARREPTITIUM ISTUM ADDUXISTIS? NUMQUIDNAM INTRATURUS EST IN DOMUM MEAM? Et sic illum dimisit proiiciens illum: et recessit inde David incolumis per istam figurationem furoris (1 Reg. 17; 18; 19; 21, 10—15; 22, 1). Pro ista ergo figuratione furoris videtur ad ipsam historiam pertinere quod hic scriptum est: PSALMUS DAVID, CUM MUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH ET DIMISIT EUM, ET ABIIT. Sed ille Achis erat, non Abimelech. Nomen enim solum non videtur convenire: nam res gesta prope ipsis verbis pariter designata est in Psalmis, quibus scripta est in Regnorum libro. Ideo magis movere nos debet ad quaerendum sacramentum, quia nomen mutatum est. Nam neque illud sine causa factum est, quamvis sit factum; sed quia aliquid figurabat: neque hoc sine causa scriptum est, et nomine commutato.

3. Videtis certe, fratres, profunditatem sacramentorum. Si non est in mysterio, quod a puero Golias occisus est; non est in mysterio, quia immutavit vultum suum, et affectabat, et tympanizabat, et cadebat ad ostia civitatis et ad ostia portae, et salivae decurrebant super barbam eius. Unde fieri potest ut non hoc aliquid significaret? quando quidem aperte dicit Apostolus: HAEC AUTEM IN FIGURA CONTINGEBANT ILLIS; SCRIPTA SUNT AUTEM PROPTER NOS, IN QUOS FINIS SAECULORUM OBVENIT. Si nihil significat manna, de quo dicit Apostolus: ET CIBUM SPIRITUALEM MANDUCAVERUNT: si nihil significat quod divisum est mare, et per medium ductus est populus, ut evaderent persecutionem Pharaonis,

cum dicat Apostolus: NOLO ENIM VOS IGNORARE, FRATRES, QUIA PATRES NOSTRI OMNES SUB NUBE FUERUNT, ET OMNES IN MOYSEN BAPTIZATI SUNT IN NUBE ET IN MARI: si nihil significat quod percussa petra aqua profluxit, cum dicat Apostolus: PETRA AUTEM ERAT CHRISTUS (1 Cor. 10; 11, 1—4): si ergo illa nihil significant, quamvis sint gesta: si nihil denique significant duo filii Abrahae nati secundum ordinem nascendi hominum, et tamen ipsos duos filios duo testamenta appellat Apostolus, vetus et novum, et dicit: HAEC SUNT DUO TESTAMENTA, QUAE SUNT IN ALLEGORIA (Gal. 4, 24): si ergo illa nihil significant, quae videtis auctoritate apostolica in mysterio futurarum rerum gesta esse; debemus arbitrari nihil significare etiam hoc quod vobis ex libro Regnorum de David paulo ante narravi. Non ergo nihil significat, et quod nomen mutatum est, et dictum est CORAM ABIMELECH.

4. Intendite mecum. Omnia enim quae dixi modo, quasi ad manum pertinent pulsantis, nondum apertum est. Pulsavimus, cum ista diceremus; pulsastis et vos, cum ista audiretis; adhuc pulsemus orando, ut Dominus aperiat nobis. Nominum hebraeorum habemus interpretationem: non defuerunt docti viri, qui nobis nomina ex hebraeo in graecam linguam, et inde in latinam transferrent. Consulentes ergo nomina ista, invenimus interpretari Abimelech, Patris mei regnum; et interpretari Achis, Quomodo est. Haec nomina attendamus, inde incipit nobis aperiri pulsantibus. Si quaeris, Quid est Achis? respondetur, Quomodo est. Quomodo est, verbum est admirantis, et non intelligentis. Abimelech, Patris mei regnum; David, Manu fortis. In figura Christi David, sicut Golias in figura diaboli: et quod David prostravit Goliam, Christus est qui occidit diabolum. Quid est autem Christum qui diabolum occidit? Humilitas occidit superbiam. Cum ergo Christum nomino, fratres mei, maxime nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per humilitatem: quia per superbiam recessemus a Deo, redire ad eum nisi per humilitatem non poteramus, et quem nobis praeponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant prophetae, patriarchae, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.

5. Erat autem, ut nostis, sacrificium Judaeorum antea secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, et hoc in mysterio: nondum erat sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod fideles norunt, et qui evangelium legerunt, quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo sacrificia, et illud secundum ordinem Aaron, et hoc secundum ordinem Melchisedec. Scriptum est enim: IURAVIT DOMINUS, ET NON POENITEBIT EUM, TU ES

SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDEC (Ps. 109, 4). De quo dicitur: TU ES SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDEC? De Domino nostro Jesu Christo. Quis erat Melchisedec? Rex Salem. Salem civitas fuit antea, illa quae postea, sicut docti prodiderunt, Ierusalem dicta est. Ergo antequam ibi regnarent Judaei, ibi erat ille sacerdos Melchisedec, qui scribitur in Genesi sacerdos Dei excelsi (Gen. 14, 18). Ipse occurrit Abrahae, quando liberavit Lot de manu persequentium, et prostravit eos a quibus ille tenebatur, et liberavit fratrem: post liberationem fratris occurrit ei Melchisedec. Et tantus erat Melchisedec, a quo benediceretur Abraham. Protulit panem et vinum, et benedixit Abraham, et dedit ei decimas Abraham. Videte quid protulit, et quem benedixit. Et dictum est postea: TU ES SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDEC. David hoc in Spiritu dixit longe post Abraham: temporibus autem Abrahae fuit Melchisedec. De quo alio dicit, TU ES SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDEC, nisi de illo cuius nostis sacrificium?

6. Sublatum est ergo sacrificium Aaron, et coepit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedec. Ergo MUTAVIT nescio quis VULTUM SUUM. Quis est iste nescio quis? Non sit nescio quis: notus est enim Dominus noster Jesus Christus. In corpore et sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit corpus et sanguinem suum (Mth. 26, 26)? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius. IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, ET VERBUM ERAT APUD DEUM, ET DEUS ERAT VERBUM (Joh. 1, 1). Ecce cibus sempiternus: sed manducant angeli, manducant supernae virtutes, manducant coelestes spiritus, et manducantes saginantur, et integrum manet quod eos satiat et laetificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut mensa illa lactesceret, et ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans: sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, et per humilitatem mammillae et lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos Sapientia Dei? QUIA VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS (Ibid. 14). Videte ergo humilitatem: quia panem angelorum manducavit homo, ut scriptum est, PANEM COELI DEDIT EIS, PANEM ANGELORUM MANDUCAVIT HOMO (Ps. 72, 24): id est, Verbum illud quo pascuntur angeli sempiternum, quod est aequale Patri, manducavit homo: Quia CUM IN FORMA DEI ESSET, NON RAPINAM ARBITRATUS EST ESSE AEQUALIS DEO. Saginantur illo angeli: SED SEMETIPSUM EXINANIVIT, FORMAM SERVI ACCIPIENS, IN SIMILITUDINEM HOMINUM FACTUS, ET HABITU INVENTUS UT HOMO; HUMILIAVIT SE FACTUS OBEDIENS USQUE AD MORTEM,

MORTEM AUTEM CRUCIS (Phil. 2, 6—8): ut iam de cruce commendaretur nobis caro et sanguis Domini novum sacrificium. Quia MUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, id est coram regno patris. Regnum enim patris, regnum erat Judaeorum. Quomodo regnum patris? Regnum David, regnum Abrahae. Nam regnum Dei Patris, magis ecclesia quam populus Judaeorum: sed secundum carnem regnum patris populus Israel. Dictum est enim: ET DABIT EI DEUS SEDEM DAVID PATRIS EIUS (Luc. 1, 32). Demonstratur ergo secundum carnem pater Domini esse David: secundum divinitatem autem Christus non filius, sed Dominus David. Judaei vero Christum secundum carnem norunt, secundum divinitatem non norunt. Ideo fecit illis quaestionem, et dixit: CUIUS FILIUM ESSE DICITIS CHRISTUM? Et responderunt: FILIUM DAVID. Et ille: QUOMODO ERGO DAVID IN SPIRITU VOCAT EUM DOMINUM, UBI AIT: DIXIT DOMINUS DOMINO MEO, SEDE AD DEXTERAM MEAM, DONEC PONAM OMNES INIMICOS TUOS SUB PEDIBUS TUIS? SI ERGO DAVID IN SPIRITU VOCAT EUM DOMINUM, QUOMODO FILIUS EIUS EST? Et non potuerunt illi respondere (Mth. 22, 42—46): quia non noverant in Domino Christo, nisi quod videbatur oculis, non quod corde intelligebatur. Si autem intus haberent oculos sicut habebant foris, ex eo quod foris videbant intelligerent filium David: ex eo quod intus intelligebant, intelligerent Dominum David.

7. MUTAVIT ERGO VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH. Quid est, CORAM ABIMELECH? Coram regno patris. Quid est, Coram regno patris? Coram Judaeis. ET DIMISIT EUM, ET ABIIT. Quem dimisit? Ipsum populum Judaeorum dimisit, et abiit. Quaeris modo Christum apud Judaeos, et non invenis. Unde dimisit et abiit? Quia MUTAVIT VULTUM SUUM. Haerentes enim illi sacrificio secundum ordinem Aaron, non tenuerunt sacrificium secundum ordinem Melchisedec (Hebr. 7, 11); et amiserunt Christum, et coeperunt eum habere gentes quo non miserat ante praecones. Nam ad illos praecones miserat, ipsum David, Abraham, Isaac et Jacob, Isaiam, Jeremiam, et caeteros prophetas miserat, et pauci inde cognoverunt et ipsi pauci in comparatione pereuntium: nam multi erant. Millia enim legimus fuisse. Scriptum enim est: RELIQUIAE SALVAE FIENT (Rom. 9, 27). Sed quaeris modo circumcisos christianos, et non invenis. Erant autem de circumcisione recentibus temporibus fidei multa millia christianorum. Quaeris modo, et non invenis. Merito non invenis. Mutavit enim VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT. Et coram Achis mutavit vultum suum, et dimisit eum, et abiit. Ideo enim mutata sunt nomina, ut ad mysterii significationem nos excitaret mutatio nominum: ne putaremus non narrari aut commemorari in scripturis Psalmorum, nisi quod in libris Regnorum gestum invenitur, et non ibi quaereremus figuras futurorum, sed tanquam res gestas acciperemus. Cum ergo nomina mutantur, quid

tibi dicitur? Clausum est hic aliquid; pulsa, noli haerere in littera; quia littera occidit: sed desidera spiritum; spiritus enim vivificat (2 Cor. 3, 6): intellectus spiritualis credentem salvum facit.

8. Quomodo ergo dimisit Achis regem, attendite, fratres. Achis dixi interpretari, Quomodo est. Recordamini Evangelium: quando loquebatur Dominus noster Jesus Christus de corpore suo, ait: NISI QUIS MANDUCAVERIT CARNEM MEAM, ET BIBERIT SANGUINEM MEUM, NON HABEBIT IN SE VITAM: CARO ENIM MEA VERE ESCA EST, ET SANGUIS MEUS VERE POTUS EST (Joh. 6, 54, 56). Et discipuli eius qui eum sequebantur, expaverunt, et exhorruerunt sermonem, et non intelligentes putaverunt nescio quid durum dicere Dominum nostrum Jesum Christum, quod carnem ejus quam videbant, manducaturi erant, et sanguinem bibituri: et non potuerunt tolerare, quasi dicentes, Quomodo est? Error enim et ignorantia et stultitia in persona regis Achis. Ubi enim dicitur, Quomodo est, non intelligitur: ubi non intelligitur, tenebrae ignorantiae sunt. Erat ergo in illis regnum ignorantiae, quasi rex Achis: id est, regnum erroris eis dominabatur. Ille autem dicebat, NISI QUIS MANDUCAVERIT CARNEM MEAM, ET BIBERIT SANGUINEM MEUM. Quia mutaverat vultum suum, quasi furor iste et insania videbatur, dare carnem suam manducandam hominibus, et bibendum sanguinem. Ideo quasi insanus putatus est David, quando dixit ipse Achis: Arreptitium hunc mihi adduxistis. Nonne videtur insania, Manducate carnem meam et bibite sanguinem meum? Et dicens, QUICUMQUE NON MANDUCAVERIT CARNEM MEAM, ET BIBERIT SANGUINEM MEUM, NON HABEBIT IN SE VITAM, quasi insanire videtur. Sed regi Achis insanire videtur, id est stultis et ignorantibus. Ideo dimisit eos et abiit: fugit de corde eorum intellectus, ne eum possint comprehendere. Et quid dixerunt illi? Quasi, Quomodo est, quod interpretatur Achis. Dixerunt enim: QUOMODO POTEST HIC NOBIS DARE MANDUCARE CARNEM SUAM (Ibid. 53)? Arreptitium putabant Dominum, et nescire quid loqueretur, et insanire. Ille autem qui noverat quod dicebat in illa mutatione vultus sui, et quasi furore et insania, sacramenta praedicabat, et affectabat, et tympanizabat ad ostia civitatis.

9. Quaerendum est quid sit, et ipsum AFFECTABAT ET AD OSTIA TYMPANIZABAT. Non sine causa dictum est, PROCIDEBAT AD OSTIA PORTAE: non sine causa dictum est, ET SALIVAE DECURREBANT SUPER BARBAM EIUS: non frustra dicta sunt. Mercede intelligentiae diuturnus sermo onerosus esse non debet. Nostis, fratres, Judaeos ipsos, coram quibus ille mutavit vultum suum, et dimisit eos, et abiit, hodie vacare. Si illi qui Christum amiserunt, quos dimisit, et abiit, habent inanem vacationem; nos habemus fructuosam vacationem, ut intelligamus Christum qui illos dimisit, et venit ad nos. Omnia non frustra facta sunt, et in illo furore David, quod dicitur AFFECTABAT, ET TYMPANIZABAT AD OSTIA CIVITATIS,

ET FEREBATUR IN MANIBUS SUIS, ET PROCIDEBAT AD OSTIA PORTAE, ET SALIVAE DECURREBANT SUPER BARBAM EIUS. AFFECTABAT ille: quid est, AFFECTABAT? Affectum habebat. Quid est affectum habere? Quia compassus est infirmitatibus nostris: et ideo voluit ipsam carnem suscipere, in qua mortem occideret. Compassus ergo nobis, affectasse dictus est. Ideo reprehendit Apostolus eos qui duri sunt et sine affectu. Reprehendens enim quosdam, ait: SINE AFFECTU, SINE MISERICORDIA (Rom. 1, 31). Ubi est affectus, ibi misericordia. Ubi misericordia est? Miseratus est nos desuper. Nam si exinanire se nollet, manens in ea forma in qua aequalis erat Patri sempiternus, semper nos in morte remansissemus: sed ut nos de morte sempiterna liberaret, quo nos peccatum superbiae perduxerat, humiliavit se, factus subditus usque ad mortem, mortem autem crucis. Ergo affectavit, quia pervenit usque ad mortem crucis. Et quoniam qui crucifigitur, in ligno extenditur; ut autem tympanum fiat, caro, id est corium, in ligno extenditur: dictum est, ET TYMPANIZABAT, id est crucifigebatur, in ligno extendebatur. AFFECTABAT, id est, affectum in nos habebat, ut animam suam poneret pro ovibus suis (Joh. 10, 15). TYMPANIZABAT. Quomodo? AD OSTIA CIVITATIS. Ostium nobis est quod aperitur, ut credamus in Deum. Clauseramus ostia contra Christum, et aperueramus diabolo; contra vitam aeternam clausum cor habebamus: ille autem Dominus Deus noster, quia clausum cor habebamus homines adversus vitam aeternam, nec poteramus videre Verbum quod vident angeli, cruce aperiebat corda mortalium, hoc est, TYMPANIZABAT AD OSTIA CIVITATIS.

10. ET FEREBATUR IN MANIBUS SUIS. Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus; in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: HOC EST CORPUS MEUM (Mth. 26, 26). Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Ipsa est humilitas Domini nostri Jesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus. Ad ipsam nos hortatur, fratres, ut vivamus, id est humilitatem eius imitemur: ut percutiamus Goliam, et tenentes Christum vincamus superbiam. PROCIDEBAT ENIM AD OSTIA PORTAE. Quid est, PROCIDEBAT? Ad humilitatem se ipse deiiciebat. Quid est, AD OSTIA PORTAE? Ad initium fidei, quo salvi efficimur. Nemo enim incipit nisi ab initio fidei, sicut dicitur in Canticis canticorum: VENIES, ET PERTRANSIES AB INITIO FIDEI (Cant. 4, 8 sec. LXX). Venturi sumus facie ad faciem; sicut scriptum est: DILECTISSIMI, FILII DEI SUMUS, ET NONDUM APPARUIT QUID ERIMUS; SCIMUS QUIA CUM APPARUERIT, SIMILES EI ERIMUS, QUONIAM VIDEBIMUS EUM SICUTI EST (1 Joh. 3, 2). Videbimus: quando? Cum ista transierint. Audi etiam Paulum apostolum: VIDE-

MUS NUNC PER SPECULUM IN AENIGMATE, TUNC AUTEM FACIE AD FACIEM (1 Cor. 13, 12). Antequam ergo videamus facie ad faciem Verbum, quod vident angeli, opus nobis est adhuc ostiis portae ad quae procidit Dominus, humilians se usque ad mortem.

11. Quid est quod SALIVAE DECURREBANT SUPER BARBAM EIUS? In hoc enim IMMUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, vel Achis, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT. Non intelligentes dimisit. Ad quos abiit? Ad gentes. Ergo nos intelligamus quod ipsi non potuerunt. Decurrebant super barbam David salivae: quid sunt SALIVAE? Quasi verba infantilia: salivae enim currunt infantibus. Nonne erant tanquam infantilia verba: Manducate carnem meam, et bibite sanguinem meum? Sed ista infantilia verba tegebant virtutem ipsius. Virtus enim in barba intelligitur. Salivae igitur decurrentes super barbam ejus, quid sunt, nisi verba infirma virtutem ejus tegentia? Intellexit, ut arbitror, Sanctitas Vestra titulum psalmi huius. Si velimus iam psalmum exponere, timendum est ne illa quae audistis labantur de cordibus vestris. Titulum psalmi huius exposuerimus in nomine Domini nostri Jesu Christi: quoniam crastinus dies dominicus est, et debemus vobis sermonem, differamus in crastinum, ut etiam Psalmi textum libenter audiatis.

Haec omnia in n. 2 en. 2, habitae die sequenti, qui fuit dominicus dies, de textu psalmi, breviter retexta obviant. Naturam humanam a Verbo assumptam ipsamque in cruce oblatam et in sacrificio novi testamenti fidelibus commendatam luculenter et ferventer hic praedicavisse nostrum doctorem haud difficile intelliges.

ENARRATIO IN PSALMUM 98, 9 (PL XXXVII, 1264—5).

ET ADORATE SCABELLUM PEDUM EIUS, QUONIAM SANCTUS EST (vers. 5). Quid habemus adorare? Scabellum pedum eius. Suppedaneum dicitur scabellum. Quod dicunt Graeci *ὑποπόδιον*, dixerunt Latini scabellum; et alii dixerunt, suppedaneum. Sed videte, fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco scripturarum dicitur: COELUM MIHI SEDES EST, TERRA AUTEM SCABELLUM PEDUM MEORUM (Is. 61, 1). Ergo terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco quod sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte scriptura: DOMINUM DEUM TUUM ADORABIS (Deut. 6, 13)? Et hic dicit, ADORATE SCABELLUM PEDUM EIUS; exponens autem mihi quod sit scabellum pedum eius, dicit, TERRA AUTEM SCABELLUM PEDUM MEORUM. Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit coelum et terram; rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus mihi dicit, ADORATE SCABELLUM PEDUM EIUS. Quaero quod sit scabellum pedum

eius; et dicit mihi scriptura: TERRA SCABELLUM PEDUM MEORUM. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic; et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit [1], inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Numquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit, cum de ipsa commendatione eiusdem terrae loqueretur: SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT; CARO AUTEM NIHIL PRODEST. Ideo et ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum cuius pedum scabellum est quod adoras; propter ipsum enim adoras: ideo et hic subiecit, ADORATE SCABELLUM PEDUM EIUS, QUONIAM SANCTUS EST. Quis sanctus est? In cuius honore adoras scabellum pedum eius? Et cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, et a spiritu non vivificeris: SPIRITUS EST ENIM, inquit, QUI VIVIFICAT; CARO AUTEM NIHIL PRODEST. Tunc autem, quando hoc Dominus commendavit, de carne sua locutus erat, et dixerat: NISI QUIS MANDUCAVERIT CARNEM MEAM, NON HABEBIT IN SE VITAM AETERNAM. Scandalizati sunt discipuli eius quidam, septuaginta ferme, et dixerunt: DURUS EST HIC SERMO; QUIS POTEST EUM INTELLIGERE? Et recesserunt ab eo, et amplius cum eo non ambulaverunt. Durum illis visum est quod ait, NISI QUIS MANDUCAVERIT CARNEM MEAM, NON HABEBIT VITAM AETERNAM: acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt quod praecisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis, et dixerunt, DURUS EST HIC SERMO. Ipsi erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi: Non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod sacramentum latens. Manerent cum illo lenes, non duri; et discerent ab illo, quod, illis discedentibus, qui remanserunt, didicerunt. Nam cum remansissent cum illo discipuli

[1] Cfr. Cyrill., Cat. myst. 5, 22: *Εἶτα μετὰ τὸ κοινωνῆσαί σε τοῦ σώματος Χριστοῦ προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, ἀλλὰ κύπτων καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος λέγων τὸ ἀμὴν ἁγιάζου καὶ ἐκ τοῦ αἵματος μεταλαμβάνων Χριστοῦ.* En. 1 in ps. 21, 30: Manducaverunt corpus humilitatis Domini sui etiam divites terrae, nec sicut pauperes saturati sunt usque ad imitationem, sed tamen adoraverunt. In conspectu eius procident universi qui descendunt in terram: solus enim videt quomodo procidant universi, qui coelestem conversationem deserentes, in terra eligunt beati apparere hominibus, non videntibus ruinam eorum; S. 1 in ps. 48, 3: MANDUCAVERUNT ET ADORAVERUNT OMNES DIVITES TERRAE. Non dicit, Manducaverunt et saturati sunt, sed, MANDUCAVERUNT ET ADORAVERUNT. Adorant quidem Deum, sed humanitatem nolunt exhibere fraternam. — De ritu sumendi eucharistiam tunc usitato loquitur Aug.: S. fragm. 3 c. Pelag.; Ep. 175, 5; Ss. 56, 11, 15; 392, 5, 5; Den. III; C. ep. Parm. 2, 7, 13; C. lit. Pet. 2, 23, 53; S. ined. 3, 3. Ss. 272; Guelf. VII, 1; 181, 5, 7; C. Faust. 12, 15.

duodecim, illis recedentibus, suggesserunt illi, tanquam dolentes illorum mortem, quod scandalizati sunt in verbo eius et recesserunt. Ille autem instruxit eos, et ait illis, SPIRITUS EST, QUI VIVIFICAT; CARO AUTEM NIHIL PRODEST: VERBA QUAE LOCUTUS SUM VOBIS, SPIRITUS EST ET VITA (Joh. 6, 54—64). Spiritualiter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis; et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent [1]. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. EXALTATE DOMINUM DEUM NOSTRUM, ET ADORATE SCABELLUM PEDUM EIUS, QUONIAM SANCTUS EST.

[1] Quomodo corpus eucharisticum sit referendum ad corpus physicum seu, ut ita dicam, historicum, videsis S. 77, 3: Ad mensam Domini accesserunt (scl. Judaei conversi) et sanguinem, quem saevientes fuderunt, credentes biberunt; 87, 11, 14: Post ascensionem . . . conversi sunt ad eum, quem crucifixerunt, et in sacramento credentes sanguinem eius biberunt, quem saeviendo fuderunt; En. in ps. 100, 9: Cave ne capiaris in epulis eorum laqueo diaboli. Cibis talibus pascebantur Judaei, quando crucifixerunt Dominum: sed quia pascebantur tanquam de poena Domini. Nam et nos de cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius manducamus; Ep. 36, 24: Dicit cessisse pani (scl. novi testam.) pecus (scl. vet. test.), tamquam nesciens et tunc in mensa panes propositionis poni solere, et nunc se de agni immaculati corpore partem sumere. Dicit cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem; De Trin. 3, 10, 21; En. 1 in ps. 33; En. 2 in ps. 33: Cum commendaret ipsum corpus suum, accepit in manus suas, quod norunt fideles, et ipse se portabat quodammodo, cum diceret, hoc est corpus meum; S. 235, 2, 3: Dominus ergo praesentavit se ipsum in fractione panis; S. 310, 2: Tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani sanguis bibitur Christi, quanto devotius ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani; Quaest. in Hept. 3, 57: Sed cum Dominus dicat: NISI MANDUCAVERITS CARNEM MEAM ET BIBERITIS MEUM SANGUINEM, NON HABEBITIS IN VOBIS VITAM; quid sibi vult, quod a sanguine sacrificiorum, quae pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: a cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam?

Druck von H. Laupp jr in Tübingen

BR
63
F4
v.35

41613

Augustinus, A.
S. Aur lii Augustini,
episcopi hipponensis

BR
63
F4
v.35

41613

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
BR63 .F4 v.35
Augustine/Sancti Aurelii Augustini, epis
G
3 2400 00036 5175